III

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
709
NAPOLI

2 – 4

Racc. Vill B
709

Digitized by Google

523896

J. ANDREAE SERRAI

DE

SACRIS SCRIPTURIS

LIBER

QUI EST LOCORUM MORALIUM

PRIMUS

AD

NICOLAUM FRAGGIANNIUM

MARCHIONEM.

NEAPOLI CIƆIƆCCLXIII.

Ex Typographia Simoniana.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

J. ANDREAE SERRAI

D E

SACRIS SCRIPTURIS

L I B E R

QUI EST LOCORUM MORALIUM

P R I M U S

A D

NICOLAUM FRAGGIANNIUM

MARCHIONEM.

CUM ceterarum rerum omnium , tum vel maxime illius ſententiae tuae excellentem ſapientiam ſum demiratus , ampliſſime Nicolaë Fraggianni , quam praeclare a te uſurpatam ſaepe audivimus : nihil quidquam prorſus eſse , quod tantopere reipublicae , ac Principis interſit, quam cives populoſque habere ſanctiori pietate informatos , quique pie ſancteque eadem religionis forma divinum Numen colant ; propterea quod quae à corruptae Moralis fautoribus agitantur conſilia , non modo religionis , ſed civitatis etiam , ac Principis incolumitati ſunt inimica . Hinc ad decus & laudem noſtrae religionis vehementer pertinere affirmabas , ſanae purioriſque doctrinae patrocinium unumquemque ſuſcipere , his praeſertim moribus atque temporibus , quibus ſanctiſſima Jeſu Chriſti praecepta & inſtituta non pauci offuciis , novarumque re-

rum commentis labefactare moliuntur. Id ego quum libenter accepiſſem, reſque mihi viſa eſſet & a vitae meae inſtituto non aliena, nec fortaſſe noſtris hominibus inutilis, & digna certe, in qua hominis liberaliter eruditi non fruſtra laboraret induſtria: adjeci, hortatu praeſertim tuo, nuper animum ad exponendos locos, ſive fontes Moralis chriſtianae, ut non vagam & incertam, ſed unam ſtabilemque haberemus diſciplinam, ſive regulam inveniendorum argumentorum, qua ſine ullo errore noſtros, aliorumque mores ad divinae Legis praeſcriptum accommodaremus. At, proh dolor! quotieſcunque huic ſcriptioni manus admoveo, acerba ſane recordatio recentem animi curam moleſtiamque exaſperat. Nam illud tuum immortalitate dignum ingenium, illa tua humanitas, illa virtus tua morte extincta ſubita eſt, vix quinque diebus poſt eum diem, quo univerſi hujuſce operis rationem a me quum percontatus eſſes, idem ut primo quoque tempore in vulgus emitterem peramantiſſimis verbis impuleras. Nimirum tuus interitus fuit gravis reipublicae, luctuoſus bonis omnibus; ſed ea tamen & conſilio rexiſti, & abſtinentia procuraſti, & virtute confeciſti, ut quum de mortalibus, deque univerſa republica optime meritus fueris, nulla aetas, oblivio nulla deletura ſit nominis tui memoriam. Neque apud nos ſolos, ſed apud univerſas Europae gentes nullo tempore de te exiſtimationes & judicia non vigebunt, quae tuas praeclare res geſtas ſuſpicientes, jam pridem te ut civem ſuum complexi ſunt. Vidimus Carolum III. incredibili Regem non modo ſapientia, ſed bonitate etiam ſingulari ornatum, tum demum optime Regnorum ſuorum rationibus pro-

proſpectum iri prae ſe tuliſſe, ſi te in ampliſſimo dignitatis gradu collocaret, contraque adverſariorum validos impetus, haberet ſuorum conſiliorum omnium & participem, & adjutorem. Vidimus te in jure dicundo nihil gratiae, nihil opibus, nihil obrepentium fraudibus, nihil quod non jure, & honeſte exorari poſſet, unquam tribuiſſe: at vero ſummam commendationis vim apud te habuiſſe virtutem, & virtuti conjunctam rectam rationem. Vidimus te Sacerdotii, Imperiique jura ſanctiſſime ſemper pertractaſſe; in quo pleniſſimo offenſionum munere id ſemper propoſitum habuiſti, ne utriuſque Poteſtatis adminiſtratio, conſenſionis foedere disrupto, populorum tranquillitati unquam officeret. Etenim, quod a pleriſque fieri poſſe temere negatur, in omni vitae curſu ita tempora es diſpertitus, ut modo ad rerum agendarum ſtudia, modo ad divinarum, humanarumque rerum cognitionem animum traducere conſueveris; neque enim te fugerat ſupervacanea eſſe philoſophiae, ceterarumque diſciplinarum praecepta, niſi ad vitam, atque ad rerum uſum referrentur. Quapropter non minus in otio, quam in negotio ceteris prodeſſe adlaboraſti; eaque & publicis, & privatis in rebus praeſtare maluiſti, quae ratio, & doctrina praeſcripſit. Cujus virtutis, ac dignitatis tuae fructus in hac mortali vita ſi cepiſti: longe tamen uberrimos in feliciſſima illa ſede, ubi beati aevo ſempiterno fruuntur, ab aequiſſimo meritorum aeſtimatore & judice Deo Optimo Maximo, retuliſſe jam confidimus, ut de homine integerrime peracta vita fas eſt dijudicare. Nam ut eos ſemper averſatus es Chriſtianos, qui fucata ſimulataque pietate videri magis, quam eſſe Religionis cultores volunt:

 ita

ita e chriſtianae diſciplinae decretis vitae tuae rationem inſtitueras, ut quam ſaniorem doctrinam & ſcriptis, & quotidianis fere ſermonibus conſtanter ſemper defenderas, eamdem & factis etiam, & vitae innocentia uno eodemque tenore redderes. Quo magis in tuo nomine emittere hunc Commentarium, tuiſque Manibus nuncupare lubens conſtitui, qui hiſce ſcriptis chriſtianae Moralis fontes, Deo bene juvante, pertractare aggredior. Quam animi mei ſignificationem tantum a ſpecie adulationis abeſſe puto, quantum locorum intervallo a nobis abes. Sed ad rem ipſam accedamus, ſequamurque potiſſimum doctiſſimos Eccleſiae Patres, ut duces & magiſtros, e quorum fontibus judicio arbitrioque noſtro, quantum, quoque modo videbitur, hauriemus.

I. *De definitione, ac partitione locorum moralium.*

Quoniam vero omnis, quae ratione de aliqua re ſuſcipitur inſtitutio, a definitione debet proficiſci, ut intelligatur id, quod in diſputationem venit: placet proinde, ne in incerto noſtra vagetur oratio, ante definire, quid ſit Locus Moralis. Communium quidem locorum magnus apud veteres, oratores praeſertim, fuit uſus, quos illi definiebant eſſe argumentorum ſedes; propterea quia ab illis, veluti e theſauro quodam, argumenta ad rem comprobandam deducebant. Non abſimili ratione Morales Locos, de quibus eſt his in libris diſputandum, nos accipimus. Dicimus enim eos eſſe fontes argumentorum ad rerum agendarum inter chriſtianos rationem confirmandam, tum ad vitiorum fugam, tum ad virtutum conſecutionem. Ac univerſae quidem Theologiae communes, atque iidem ſunt loci; verumtamen aliter Dogmaticus, & Scholaſticus Theologus eos uſurpat, aliter Moralis.

Dogma-

Dogmaticus enim, ſive Scholaſticus ea inde argumenta depromit, quae ad divina Myſteria, divinamque Naturam, ſive contra prava dogmata haereticorum, aliorumque catholicae doctrinae hoſtium, aſſerendam, ſunt idonea; quod argumenti genus peculiari opere egregie eſt perſecutus vir doctiſſimus, atque idem graviſſimus Melchior Canus. Moralis autem Theologus ut recti tantum Chriſtianorum mores excolantur, ſanctèque vita inſtituatur, ex illis locis argumenta deſumit. Illi puram in Deum, ejuſque virtutes fidem reſpiciunt: hic charitatem inter homines propoſitam habet.

II. *De neceſſitate ſcientiae locorum moralium.*

Hinc perſpicuum eſt, quam neceſſarium cuique chriſtianorum ſit, ac praeſertim iis, qui docendi munus obeunt, ſeque magiſtros in rebus ad religionis cultum pertinentibus, ceteris praebent, Moralium Locorum naturam, & rationem probe noſſe. Niſi enim conſtitutam, & cognitam habuerint diſciplinam, quae idonea, & firmiora tradet adhiberi argumenta, ut de uniuſcujuſque rei honeſtate, aut vitio tuto valeant dijudicare: quo pacto, quaeſo, officiorum omnium, ac morum informationem ſuſceperint? Nimirum Jeſus Chriſtus praedicationem omnem ſuam ad duo capita retulit: primum Fidem reſpicit rerum divinarum, arcanorum Trinitatis, Incarnationis Verbi, mortuorumque reſurrectionis, ac futuri Judicii in poſtremo Chriſti adventu; alterum Caritatem proponit, uſum ſcilicet chriſtianarum virtutum, ac rationem vitae pie honeſteque degendae. Sed quia nihil valet Fides a Caritate divulſa (*a*), quum illa Fides homi-

(a) *Jacob.* 2.

hominibus proſit, quae virtutum & recte factorum comes eſt: magnopere idcirco intereſt tenere fontes illos, unde bonorum operum, atque officiorum regula emanat; Locos ſcilicet moralis doctrinae, qui rationem docent argumentorum inveniendorum, quibus quid in quaque re ſit appetendum noſcamus, & quid fugiendum; ut ſana & incorrupta doctrina, veluti pabulo vitae innutriti & confirmati, non circumferamur, tanquam parvuli fluctuantes, omni vento doctrinae (*a*).

III. *De humanae naturae infirmitate.* Sed nulla alia ex re neceſſitatem magis poſſumus pernoſcere conſulendi puriſſimos, ac legitimos fontes humanarum actionum, quam ſi oculos in rationis naturaeque humanae imbecillitatem intendamus. Nam quum primi illi parentes praeclara ac beata à Deo fuiſſent conditione generati, naturali quadam propenſione ſummi boni finem, qui Deus eſt, idemque noſtrae beatitudinis auctor, expetebant. Duplici quippe lege procreati, corporis ſcilicet, & rationis, ita naturam regebant ſuam, ut mens, ſive ratio, utpote praeſtantior, imperando, corpus obſequendo, nulla prorſus difficultate, ſed propriis humanitatis viribus, praeſcriptum a divina voluntate opus exequebantur. Poſtquam vero a Dei obedientia deſcivit Adamus, eoque caſu poſteritatem ſecum traxit univerſam, factum eſt, ut harmonia quoque illa, ac rectus ordo continuo diſſolveretur. Nam corpus in ſpiritum ac mentem attollens caput, rationis coepit imperium detrectare. Quin imo bellum nefarium continenter

(a) *Epheſ.* 4.

ter adverſus illam gerens (*a*), omnes certe ejus vires conficeret, ac deſtrueret, niſi Deus Opt. Max. numine ſuo animos hominum attolleret, ac ſuſtentaret. Ceterum ex illa labe grave vulnus accepit liberum hominis arbitrium. Nam quum pro illa, quam falſa opinione ducti ſibi peccando ſpoponderant, felicitate, ſimul cum interitu ignorationem rerum agendarum, & cupiditatem noxiarum, etiam nolentes nacti eſſent: ex his morborum, non ubertatis, ſed indigentiae tanquam fontibus omnis miſeria & calamitas ad genus hominum profluxit (*b*). Hinc fateamur oportet liberum hominis arbitrium ad malum ſufficere, ad bonum autem parum eſſe, niſi adjuvetur ab omnipotenti Deo (*c*). Quae tamen non eo dicta intelligantur, ac ſi liberum hominis arbitrium penitus ſublatum, neque ad ullum opus honeſtum idoneum eſſe quiſquam credat. Damnata eſt enim Lutheri, & Calvini ſententia, qui humanam libertatem ex originis vitio amiſſam penitus, atque extinctam commenti ſunt (*d*). Sed propterea has mortalium aerumnas expoſuimus, ut plane intelligatur, quam parum humana ratione, humaniſque viribus confidendum; ſed aliunde potius rerum agendarum formam petendam, ex puriſſimis ſcilicet moralis diſciplinae Locis, ſive fontibus, unde regulas eruamus oportet, quibus unice juſti atque injuſti, turpis atque honeſti, virtutis denique ac vitii

(a) *Rom.* 7.
(b) *Auguſt. Enchir. c.* 10.
(c) *Id. de corrept. & grat. cap.* 11.
(d) *Conc. Trid. Seſſ. 6. can.* 5.

Digitized by Google

vitii rationem omnem percipi, iiſque ſpretis nullo prorſus pacto nec divinam religionem ſtare, nec chriſtianorum mores caritatis officiis poſſe excoli affirmamus. Sed jam ad Locos ipſos aggrediamur, ex quibus haec omnis nata eſt oratio.

IV. *De multiplici Sacrae Scripturae appellatione.*

Eorum omnium princeps Locus putandus eſt auctoritas Sacrarum Scripturarum, quae Deum ipſum habent auctorem; de quo, propoſita prius varia Scripturarum appellatione, deinceps diſputationem proſequemur. Principio humani generis conditor Deus ore ſuo, perque ſeipſum mortales allocutus eſt; nec aliam, quam quae ab hominibus adhiberi ſolebat, loquendi formam uſurpavit. Ita enim objurgaturus hominis praevaricationem Adamum arceſſit; ita Cainum gravioribus verbis increpavit; nec aliter quam humano ſermone cum Noë locutus eſt; hoſpitatuſque apud Abrahamum, cum eo humana voce ſermonem inſtituit. Ubi vero genus hominum in impium fictorum Deorum cultum, atque adeo in omne ſcelus prolapſum eſt, ita ut verae religionis traditio una cum naturali honeſtate evaneſceret, divina illa familiaritate & congreſſu indignos ſeſe mortales effecerunt. Non adeo tamen indulgentiſſimus Deus illos averſatus eſt, ut diutius in immani errorum caligine demerſos ſineret; ſed benignitate ſua tandem ad veritatis lucem eos revocare quum vellet: propterea quaſi longe abſentibus litteras hominibus miſit, amicitiam cum illis innovare, ac conciliare dignatus (*a*). Haec autem Dei ſcripto

(a) *Chryſ. in cap.* 1. *geneſ. homil.* 2.

ſcripto tradita voluntas variis appellatur nominibus. Vocatur enim *Scriptura*, quia Deus quidquid ad pie beateque vivendum pertineret, ſcriptis conſignari praecepit. Dicitur item *Biblia* a graeco vocabulo βίβλος, quod *Liber*, ſive *Codex* ſonat. *Foedus* etiam nuncupatur, propterea quod pactionem olim iniverat Deus cum Hebraeorum progenie Israëlitis, fore aliquando ut ipſe Servatorem, ſive Meſſiam eis mitteret; noviſſime autem cum univerſo hominum genere foedus ſancivit, daturum ſe ſpiritualia, aeternaque bona cuicumque ſua mandata rite obierit. *Teſtamentum* autem *Vetus*, ac *Novum* dicimus; nam quidquid Deus ſpoponderat, in veteri quidem morte animalium, id quod typus fuit & figura mortis Chriſti: in novo autem ipſius Chriſti obitu confirmatum eſt. Etenim, ut loquitur D. Paulus (*a*), ubi eſt teſtamentum, mors teſtatoris intercedat neceſſe eſt. Atque a veteribus quidem Patribus *Inſtrumentum* quoque vocatur, quo quidem nomine innuere voluerunt, quaecumque in Dei Scriptura continentur, ita rata & firma eſſe, ut nulli unquam de eorum certitudine fas ſit dubitare. Quocumque autem ſive *Paginae*, ſive *Litterae*, ſive *Oracula*, ſive *Bibliotheca*, ſive alio quovis Scripturae appellentur nomine, *Sacrarum*, ac *Divinarum* titulo merito adornantur, ut cuique innoteſcat ab auctore ſuo Deo illas derivare; nec humana eſſe quae inibi continentur, ſed prorſus ſpiritualia, ac caeleſtia. Quam Scripturarum rationem, quia tum ad chriſtianae religionis dignitatem, tum

(a) *Rom.* 9.

tum praeterea ad noſtram fidem, morumque diſciplinam ſtabiliendam magnopere pertinet, operae pretium erit, ſumpta paulo altius oratione, accuratius hic demonſtrari.

V. *De divinitate Scripturarum.* Igitur quum in hac rerum univerſitate earum, quae quotidie & gignuntur, & intereunt, ipſe communis ſenſus nos admoneat, unam ut conſtituamus cauſam, quae eſſe nunquam coeperit, nec proinde deſinendi, aut intereundi ullam habeat poteſtatem: quumque ipſa mundi pulchritudo, & ordo rerum caeleſtium plane cogat confiteri praeſtantem aliquam eſſe, aeternamque naturam, & eam ſuſpiciendam, admirandamque hominum generi, quam Deum appellamus: ſequitur hunc providentiſſimum, & cuncta circumſpicientem eſſe oportere. Aliter enim ei non poteſt ulla tribui divinitas, niſi & praeterita teneat, & praeſentia ſciat, & futura proſpiciat. Quod ſi rebus humanis provide is conſulit: maxime hominibus in rebus admodum neceſſariis conſulat neceſſe eſt. Nihil autem mortalibus aeque neceſſarium, quam cultus, & religio, quam Deus ſummo creationis, & conſervationis jure ab animantibus mente & ratione praeditis efflagitat. Haec autem religio non arbitraria, non ex cujuſque ingenio effičta, ſed recta, & ordinata, atque ipſi ſupremo Numini conſentanea eſſe debet; quae quum humanae mentis viribus efformari, aut excogitari nulla ratione poſſit: propterea ab ipſo Deo dictatam ac traditam par fuiſſe affirmamus. Nam ſi hominum arbitrio effingenda relinqueretur, in quas, obſecro, falſas opiniones, anileſque ſuperſtitiones mortales prolaberentur? Ejus rei Ethnicorum natio exemplo nobis eſſe poteſt. Ii enim ſolius humanae rationis lumine ducti, tametſi eorum non-

nonnulli ſingularem Deum agnoverunt, univerſi tamen in eo colendo in maxima opinionum perverſitate, atque in turpiſſimis erroribus verſati ſunt. Quorum inexcuſabilem impietatem reprehendit D. Paulus dum ad Romanos ſcribit (*a*): *Revelatur* (inquit) *ira Dei de caelo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent; quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit . . . . itaut inexcuſabiles ſint. Quia quum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*. Quae quoniam ita ſe habeant, intelligitur profecto quid ſequatur; veram nempe religionem, verumque cultum ab ipſo Deo nobis traditum eſſe oportere; propterea quod, quum ab uno ſummo creatore conditi & generati ſimus, una mortalium omnium erga ipſum creatorem religio eſſe debet; ac proinde neceſſe prorſus fuit, ut hujuſmodi religionis promulgatio non aliter, quam in legis forma omnibus hominibus annunciaretur (*b*). Etenim fuit divina beneficentia dignius, quum conſuleret nobis, per apertum iter, & tutum, omnique errandi periculo vacuum ad veram religionem nos traducere; ut quiſquis ab eo deflecteret, ſua cujuſque fraus nullam praetenderet excuſationem. Hanc autem rectam religionis formam non aliunde nobis pernoſcere licet, quam a Sacris Scripturis; quae quia traditae nobis ſunt,

(a) *Cap.* 1.
(b) *Orig. lib.* 1. *contra Celſum*.

ſunt, ut veram religionem addiſceremus: propterea igitur divino illas inſpirante Numine eſſe exaratas, ipſe rationis ſenſus oſtendit; ut quiſquis recta ratione uti velit, nihil hac veritate eſſe certius ſecum ipſe ſtatuat. Sed ipſa prophetiae quidem vis divinitatem Scripturarum manifeſto evincit. Praeſentio enim, ſive praedictio futurorum, eorum nempe quae nulla humana facultate provideri poſſunt, in creaturam non cadit, ſed uni divinae virtuti tribuenda omnino eſt. *Hoc habebis ſignum* (inquit Deus (a)) *quod in nomine Domini Propheta ille praedixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit*. Atqui tot occurrunt praeviſiones in cunctis Sacris Scripturis, eaeque non obſcurae, nec per ambages, ſed luculentis apertiſque verbis conſcriptae, ut quum conſtantiſſime ſubinde ordine evenerint, nullum nobis de divinitate Scripturarum dubitandi locum relinquant (*b*). Quarum prophetiarum catalogum, quia longum eſt hic recenſere, egregieque id alii doctiſſimi viri praeſtiterunt, nunc referre non eſt opus. Accedit eodem ipſa doctrinae ſanctitas, & puritas, quam uno perpetuoque tenore continent ſacrae litterae. Quem autem ſapientiſſimorum illorum Graeciae Philoſophorum, qui ſcriptis ſuis univerſum terrarum orbem maximis erroribus liberare ſeſe profeſſi ſunt, comperimus parem diſciplinae honeſtatem & conſtantiam, conſequi unquam,

(a) *Deuteron.* 18.

(b) *Auguſt. de civ. Dei lib.* 12. *cap.* 9. & 10.

quam, aut exprimere potuiſſe? Quae ubique in ſacris voluminibus ita elucet, ut animos legentium mira quadam jucunditate ſimul & veneratione perfundat. Quodque vel maxime ſuſpiciendum nobis eſt, omnemque repellit dubitationem, plerumque ab hominibus litterarum rudibus, nullaque humana ſapientia praeditis exaratas illas novimus; ac proinde quum ad eam ſapientiae praeſtantiam humanam vim potuiſſe ullo modo pertingere minus credibile videatur, fateamur oportet excellentem aliam ſubſtantiam, nempe divinum Numen, eorum quae ſanctiſſimi illi viri ſcriptis tradiderunt, auctorem fuiſſe; atque ut Divus Gregorius Magnus (*a*) ait, *Ipſe haec, qui haec ſcribendo dictavit, ipſe ſcripſit, qui & illius operis inſpirator extitit*. Sed nobis, quibus Deus ſuam miſericordiam revelare ac benigne impartire voluit (*b*); quibus certum ratumque eſt, ea quae fide & auctoritate caeleſti tenemus, certiora ſane eſſe, quam quae oculorum, aut ceterorum ſenſuum adjumento percipimus, aut cogitatione comprehendimus, firmiſſima ſuppetunt argumenta, quae homini chriſtiano de divina Scripturarum auctoritate dubitare non ſinunt. Huc enim pertinent, quae luculenter in ipſis divinis litteris legimus, Spiritum Domini per Prophetas locutum (*c*), ac Spiritu Sancto locutos fuiſſe ſanctos Dei homines (*d*); praeterea Spiritum illum veritatis, poſtquam

(a) *Praefat. in Job.*
(b) *Rom.* 11.
(c) *David lib.* 2. *Reg. c.* 23.
(d) 2. *Petr.* 1.

quam in terras deſcendit, docuiſſe eos omnem caeleſtem veritatem (*a*). Ipſi enim Apoſtoli nihil quidquam ex ſuo arbitratu, quod inducerent elegerunt, ſed acceptam a Chriſto diſciplinam fideliter nationibus praedicarunt (*b*). Hinc Deum quidem Opt. Max. Scripturarum auctorem agnoſcimus, ſed hominum miniſterio & inſtrumento eas nobis tradidiſſe credimus, ut proinde eorum ingenio ſe ſe accommodaſſe divinum Spiritum cernimus, & res divinas, atque ab humana intelligentia remotas, ad ſimilitudinem imbecillitatis humanae traductas, non aliter, quam hominum loquendi forma docuiſſe. Quod ſane perinde intelligendum eſt, ſacrorum ſcriptorum non modo mentem, ſed & voluntatem, ac manum ipſam a Deo fuiſſe excitatam, & impulſam, ut, quae vera ſunt, & recta, & quae hominum generi forent conducibilia ac ſalutaria, proferrent (*c*). *Ipſae enim ſunt Scripturae* (ut Divus Auguſtinus ait (*d*) *quae nos ut bene vivamus hortantur, deque illa Civitate, unde peregrinamur, nobis venerunt.*

VI. *De immunitate Scripturarum ab omni errore, & fallacia.*

Ex his autem, quae hactenus dicta ſunt, firmiſſimo argumento colligere poſſumus, ſacras quidem Scripturas omni prorſus errore, & fallacia vacare oportere. Nam ſi fallere, & mentiri in Scripturas caderet, caderet quoque in ipſum Deum, qui earum auctor eſt, & parens. Parum enim intereſt per ſe, an per alios deciperet,

(a) *Joan.* 16.
(b) *Tertull. de Praeſcript.*
(c) *Baſil. homil. in pſalm.* 1.
(d) *Conc.* 2. *in pſalm.* 90.

peret. Atqui mendacium tam eſt divinae Naturae contrarium, quam lux tenebris, & ſpiritui materia. Mentiri enim in eum cadit, qui imbecillis eſt, cui nulla alia facilior ratio ſuppetit aſſequendi id quod vult, timetque, ne, verum proferendo, aliquo afficiatur incommodo. Deus autem quum ſit optimus, quum ſit ſapientiſſimus, quum ſit omnipotens, nec falli poteſt, nec fallere, aut mentiri (*a*). Quae enim eſſet iſta ſumma ſapientia, & omnipotentia, quae falſitati, aut errori foret obnoxia? Praeterea mendacium natura ſua malum eſt, atque ita malum, ut nullo unquam modo quiſquam juſte mentiri poſſit (*b*). Igitur ſicuti ſummae bonitati, quae uni Deo tribuenda eſt, facere malum repugnat: ita & ſummae veritati, quam ſolus Deus poſſidet, repugnat dicere falſum; & ſi Deus alienus eſt ab iniquitate, multo magis & a fallacia immunem eſſe prorſus neceſſe eſt. Atque huc referri poteſt, quod ſaepiſſime in ſacris litteris legitur, fidelem eſſe Deum in omnibus verbis ſuis, & ſanctum in omnibus operibus ſuis (*c*); & fidelem eſſe Deum, & ſine ulla iniquitate (*d*); & eſſe Deum veracem, omnem autem hominem mendacem (*e*). At nonnulla in Scripturis occurrunt, quae ſibi invicem ſunt contraria, ut proinde alterutrum falſum eſſe oporteat. Verum id quidem, ſi res altiſſimae con-

(a) *Auguſt. lib. 1. de Symb. c. 1.*
(b) *Auguſt. de mendac.*
(c) *Pſalm. 144.*
(d) *Deuteron. 32.*
(e) *Rom. 3.*

contemplationis, & divinae prorſus intelligentiae ex infirmitate mentis noſtrae nobis metiri liceret. Quod, ut probe intelligatur, antea conſtituamus oportet, quid ſit falſitas, & mendacium. Mendacium quidem ex Divo Auguſtino (*a*) nihil aliud eſt, quam aſſerere falſum animo fallendi. Ergo is proprie fallere dicitur, qui & falſa loquitur, & cauſa alii eſt, ut fallatur. Qui autem verum affirmat, tametſi is qui audit ex prava intelligentia veritatis in errorem cadit, nulla ratione fallax exiſtimandus eſt. Atque hujuſmodi fere illa ſunt, quae a nonnullis ad aſtruendas Scripturarum fallacias proferri ſolent. Quod enim nobis mortalibus in ſacris litteris mendacium, aut falſitas videtur, id ex divina diſpoſitione, futurae ut plurimum veritatis habet imaginem. Sed ut res exemplo illuſtretur, Jacob quidem, quum quaerenti patri dixiſſet, ego ſum primogenitus tuus Eſau (*b*), mentiri certe viſus eſt: revera autem myſterium in eo potius agnoſcere debemus. Vere enim Jacob primogenitum ſeſe appellare poterat, ad quem Deus, ex peculiari ſua procuratione, vel ipſi manifeſtans, vel matri, quae auctor falſitatis ejus conſilii fuerat, ſignificans, id primogeniturae jus tranſtulerat, tametſi natu minor eſſet. Quare in Jacob quidem ex Apoſtolo Paulo (*c*) myſterium, ſive figuram populi gentium agnoſcere debemus, cui licet minori, major Hebraeorum populus erat obtemperaturus. Ita quod primo

(a) *Lib. de mendac.*
(b) *Geneſ.* 27.
(c) *Rom.* 9.

mo obtutu ſallaciam redolebat, futurae veritatis figuram gerebat. Atque non diſſimili ratione cetera Scripturae loca, quae fallaciam aliquam praeſeferre videntur, intelligi debent; in quibus ſi plane & aperte veritatis vim minus comprehendimus, certiſſime tamen nobis tenendum eſt, nihil niſi certa ratione, divinoque conſilio in ſacro illo Codice exaratum contineri (*a*); propterea quod e puriſſimo omnis veritatis, & caeleſtis ſapientiae fonte promanat. Hinc facile erroris convincuntur Arminius, & Epiſcopius, qui, dum affirmant Scriptores ſacros in rebus levibus, minimeque ad ſalutem pertinentibus, hoc eſt in phyſicis, aſtronomicis, hiſtoricis, chronologicis, ſimilibuſque rebus, memoria, aut ignorantia labi potuiſſe, haud intellexere quantam Spiritui Sancto, qui numine ſuo eorum ſcripturam dictavit, contumeliam irrogarint. Nulla enim in Scripturis nec falſitas, nec error, nec vanitas, nec ſupervacaneum quid, aut redundans ineſt; contra omnis veritas, ordo, ratio, conſtantia, quin in ſingulis jotis, & apicibus, imo in ſingulis litteris magna ſaluberrimarum ſententiarum copia ſaepe continetur (*b*); nec quidquam dictum, quod latentem in ſe non habeat utilitatem, quodque ſine aliqua certa ratione ſcriptum non ſit (*c*). Igitur, ut ſapienter admodum D. Auguſtinus ad Marcellinum

 ſcripſit

(a) *Chryſoſt. homil.* 15. *in Geneſ.*
(b) *Chryſoſt. in illud* Salutate Priſcillam, & Aquilam.
(c) *Chryſ. in Geneſ. homil.* 28.

ſcripſit (*a*), ſi ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veriſimilitudine; nam vera eſſe non poteſt. Rurſus ſi manifeſtiſſimae certaeque rationi velut Scripturarum Sanctarum objicitur auctoritas: non intelligit qui hoc facit; & non Scripturarum illarum ſenſum, ad quem penetrare non potuit, ſed ſuum potius objicit veritati; nec quod in eis, ſed quod in ſeipſo, velut pro eis invenit, opponit. Quam ſententiam ita obfirmatam habebat ſanctiſſimus Doctor, ut rurſus ad Hieronymum ſcribens (*b*), eidem non dubitaverit affirmare: *Ego enim fateor caritati tuae, ſolis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam. Ac ſi aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe, non ambigam.*

VII. *De conſonantia Scripturarum.* Longe proinde abeſt, ut Sacrae Litterae aliquam ſententiae repugnantiam complectantur (*c*); quod quidam Chriſtianae Religionis hoſtes perſuadere imperitis tentarunt, probare autem cordatis viris nunquam potuerunt. Ex eo enim cum primis Scripturarum praeſtantia, ac divinitas perſpici poteſt, quod mirificam inter ſe habent cognationem, quod uno perpetuoque tenore

---

(a) *Epiſt.* 143.
(b) *Auguſt. epiſt.* 82. *c.* 1.
(c) *Chryſ. in Geneſ. homil.* 14.

nore verum cultum erga verum Deum tradunt, morum emendationem, fugam vitiorum, ac virtutis commendationem idoneis praeceptionibus conſtanter ſemper proponunt. Quod profecto conſentaneum omnino fuit, dignumque Sancti Spiritus ſapientia, quum uno eodemque inſtinctu afflatuque divino mens & calamus Sacrorum Scriptorum regeretur; ut proinde in eamdem ſententiarum conſentionem prorſus convenire neceſſe fuerit; ſecus ac vulgo Philoſophorum uſuvenire cernimus, qui quum humana ſapientia niterentur, in tanta opinionum non minus diverſitate, quam perverſitate verſati ſunt, ut nulla in certa diſciplina univerſim inter eos conſiſteret philoſophia (*a*). Sed ſi nonnulla in Veteri Teſtamento leguntur, quae in Novo comperimus eſſe mutata: non propterea ex eo licet doctrinae diſſonantiam arguere, aut mutabilem Dei ſententiam inducere, perinde quaſi priora ei diſplicuiſſent. Totam enim mutationem hanc, ſi qua reperitur, jam pridem ab ipſis Prophetarum vocibus praemonſtratam fuiſſe, plurimis ex veteris Teſtamenti locis poteſt animadverti, quae cuivis nota eſſe arbitror, mihi ad commemorandum non neceſſaria. Hinc recte ab Auguſtino traditum eſt (*b*), ſi aliqua nova, aut diſſona in Scriptura hominibus videri acciderit, talia certe non fuiſſe apud eum, qui condit tempora, & ſine tempore habet omnia, quae ſuis quibuſque temporibus pro eorum varietate diſtribuit. Igitur ubi aliquam repugnantiam of-

(a) *Auguſt. de Civit. Dei l.* 18. *c.* 41.
(b) *Ad Marcell. epiſt.* 138. *c.* 1.

ſendimus, mentem ipſam Scriptoris, & voluntatem attendamus oportet, nihil interea haeſitantes; etiamſi diverſa illi dicere videantur. Voluntate quippe cognita, perſpectoque auctoris fine, facile quae diſſona & diſcrepantia apparent, ad ſententiae conſentionem reducentur. Velut quum ait Apoſtolus (*a*): *Nolite effici pueri*; Chriſtus autem Dominus praecipit (*b*), ut efficiamur *parvuli*. Quid primo obtutu harum ſententiarum diſcrepantius? Atqui ambarum facile conciliabitur concordia, ſi animadvertamus Apoſtolum Paulum ne temeritatem, & levitatem puerorum imitemur monere; Salvatorem autem velle, ut ſimplicitate, & animi candore parvuli ſimus. Alibi rurſus hortatur Scriptura ut proximum, ſive ceteros homines non ſecus ac noſmetipſos amore proſequamur. Contra Chriſtus Jeſus (*c*) luculentam mercedem iis pollicetur, qui parentes, ſorores, fratres, uxorem denique ipſam pietatis ergo deſeruerint. Item alio loco (*d*), ſe in hunc terrarum orbem non ideo veniſſe profeſſus eſt, ut pacem conciliaret, ſed ut gladium acueret, ideſt, diſſentiones excitaret, utque hominem a patre ſuo diſſociaret, matrem a filia, nurum a ſocru. Quid naturali illi hominum ſocietati, & mutuae caritati repugnantius fingi unquam, aut dici poteſt? Vim tamen, & intelligentiam earum ſententiarum ipſe orationis contextus, ac veteres Patres docent

(a) I. *Corinth.* 14.
(b) *Matth.* 3.
(c) *Matth.* 19.
(d) *Matth.* 10.

cent eam eſſe, ut homines quidem omni benevolentia nos complecti par ſit; eos autem quoſcunque averſemur, ac fugiamus, qui nobis impedimento eſſe poſſint, quo minus viam virtutis ingredi, aeternamque noſtram felicitatem poſſimus adipiſci. Igitur cum Divo Ambroſio (*a*) teneamus oportet, Sacram Scripturam diverſa quandoque recipere, adverſa autem omnino non admittere; ex quo fit, ut dum non licet credere contrarietatem, latentem propterea cogamur quaerere veritatem.

Sed mirari ſatis eorum temeritatem non poſſumus, qui dum ſe ſapere videri volunt, plura quae ex Scripturis in Chriſtianorum mores profluxere inſtituta, rationi non conſentire affirmant. Capitalis quidem ſententia, ac eorum digna, qui nec dum ſuſpicati ſunt quidnam ipſa rationis natura poſtulet, nec Chriſtianae Religionis conſtitutionem, divinaeque doctrinae vim perceperunt. Funditus enim omnem evertunt religionem, inſignemque Deo irrogant injuriam, dum eum rerum non aeque rationi congruentium auctorem inducunt, ipſamque rationis facultatem ſupra Dei ſapientiam extollunt. Nos autem, etſi deinceps de rationis pondere in regendis Chriſtianorum moribus ſuus erit proprius differendi locus, hic non erit abs re expendere ecquid in divinis litteris contineatur, quod rationi conſentaneum non ſit. Ac potiſſima quidem rationis lex illa profecto eſt, ut ſocietas hominum, conjunctioque invicem firmetur; ut totius humani generis velut una quaedam

VIII. *De conſentione Scripturarum cum ratione.*

(a) *De Concord. Matth. & Luc.*

dam conſtituatur communitas. Ejus autem communitatis vinculum eſt Ratio, atque ab ratione orta oratio, quae mutua caritate conciliat inter ſe homines, conjungitque naturali quadam ſocietate. Num quid fortaſſe Scriptura praeſcribit, quod huic humanae ſocietatis conciliationi adverſetur? Nihil profecto minus. Quin imo tota fere divinorum oraculorum ratio id propoſitum habet, non modo ut amorem erga Deum, ſed & hominum mutuam benevolentiam ſtabiliat. Ac ſingula quidem, quae tum de divina Natura, divinoque futuro praemio, tum quae de ratione vitae recte inſtituendae ab ea ſaluberrime praecepta inveniuntur, ad duo illa capita revocantur. Hinc nihil ſaepius in ſacro Codice occurrit, quam univerſam Chriſtianorum legem ab illo in Deum ſtudio, & caritate inter homines pendere; hoc eſt, ut erga communem Creatorem Deum amorem cum vero cultu tribuamus: homines autem propter ipſum Deum benevolentia complectamur. Quod adeo Chriſtianae Religionis proprium eſt, & peculiare, ut ipſius Chriſti Servatoris mandato, Chriſtiani non alio nos, quam fratrum nomine, ab uno orti caeleſti parente, vocaremus (*a*); ac proinde fraterna neceſſitudine conjuncti, ſublato omni diſcrimine, ad naturae, rationiſque praeſcriptum, arctiſſimo benevolentiae vinculo copulatos nos ducamus; unde ad illam rerum divinarum communionem rapimur, ut ex ſanctae fidei ſymbolo nihil profecto a chriſtiano homine poſſideatur, quod ſibi cum ceteris omnibus

(a) *Matth. c.* I.

nibus commune eſſe non exiſtimare debeat. Atque ex duplici hoc fonte univerſa, quae ad Chriſtianorum inſtitutionem pertinent decreta, rite proficiſcuntur, ad eoſque rurſus referuntur. Ex quibus non erit ab inſtituta diſputatione alienum, nonnulla pauca in medium afferre, ea praeſertim, quae male feriatis quibuſdam, tanquam humanam rationem deſtruentia, aut minimum eidem contraria proponuntur. Veluti princeps accuſationis caput illud eſt, quod ſaepe in ſacris Litteris, ac praeſertim in cap. XVI. Matthaei conſtituitur, non poſſe nos Chriſto praeceptore dignos eſſe, hoc eſt, ipſius mandata recte ac rite obire, niſi prius abjuremus noſmetipſos, niſi quiſque noſtrum crucem ſuam tollat, niſi denique animam ipſam profundamus. Quod profecto, ipſi ajunt, contra naturale illud eſt, & ſacroſanctum mandatum, quod nos, vitamque noſtram tueri, ac ſervare praeſcribit. At vanam omnino eſſe, futilemque hujuſmodi accuſationem facile perſpicitur, ſi cum D. Paulo (*a*) animadvertamus, ſicuti ex animo ipſi conſtamus, & corpore, ita duplicem in nos, uti paulo ante dictum eſt, ineſſe legem, rationis alteram, alteram corporis: atque ita eſſe a ſupremo nos Parente efformatos, ut mentis, ſive rationis lex ſemper imperet, ac dominetur: corporis vero obtemperet. Sed quoniam poſt illatum a primis parentibus nobis vitium, concordia illa diſſociata, corpus ſupra ſpiritum inſurgere nunquam non conatur: atque adeo mortales tunc culpam certe concipimus, quoties a corporis

(a) *Rom.* 7.

poris appetitionibus abducti, contra rationis, ideſt contra praeſtantiorem agimus legem: propterea omnibus cruciamentis domandum corpus eſſe quis non videt, ut appetitus rationi obtemperantes habeamus? Quae agendi ratio Ethnicis ipſis minime fuit ignota; inter quos qui erectiore animo fuerunt, non dubitarunt affirmare, vitam beatam ſapientis, niſi de ſuo ſtatu velit dimoveri, voluntariis cruciatibus, & ſuppliciis omnino obnoxiam eſſe oportere; nec poſſe nos in virtute proficere, niſi a nobiſmetipſis, tanquam a perpetuis hoſtibus, & inſidiatoribus caveamus (a). Ac propterea non modo contra rationem non eſt, ſed & ipſa ratio poſtulat, ut nobis, ac membris noſtris bellum denunciemus: donec in ordinem redacta natura corporis, ad praeſcriptum legis potioris, quae a mente proficiſcitur, agamus. Quum alioquin & ipſe Deus, ubi ceteros homines, ſive proximum amore complecti nos jubet, jubeat etiam diligere noſmetipſos, quibus nullus alius magis eſt proximus. At virginitatem imperat, atque adeo omnem venereorum uſum vetat Scriptura; quod ſane rationi adverſatur; quoniam ex ipſa lege naturae homines genus ſuum propagare, ac tueri debent. Gravis quidem criminatio, ſi ullo pacto id in Scripturas cadere ullo unquam tempore compertum fuiſſet. Sed propterea inaniter illud jactari affirmamus, quod Chriſtianorum lex, quae tota ad Scripturas refertur, nunquam aut virginitatem praecepit, aut conjugiorum uſum prohibuit; quin imo Eccleſia gravius in eos animadvertit,

(a) *Epictet. cap.* 72.

vertit, qui nuptias damnabant, eoſque ut haereticos e chriſtianorum ſocietate ſegregavit, ut olim Catharos, & Montaniſtas: ut Cerinthianos, Marcioniſtas, Manichaeos, Euſtachianos, qui ſecundas improbarunt nuptias. Laudat quidem Scriptura virginitatem, ſive caelibem vitam; ſed ita laudat, ut conjugium ipſum rite initum, quo ſuus ſtaret honos matrimonio, ad Sacramenti dignitatem extulerit. Sed ſi modum rebus venereis ſtatuit, id certe nihil rationi officere palam eſt; quia & ipſa ratio ab illicitis intempeſtiviſque complexibus nos ſevocat. Niſi forte pecudum ritu fortuitas voluptates, pravaſque cupiditates conſectari, id demum eſſet ſequi inſtituta naturae. Similia, ne ſim longior, dici poſſunt de perferendis injuriis, de cohibenda iracundia, de contemptu ſui, ac divitiarum, de deſpicientia rerum humanarum, deque ſpernenda voluptate; quarum virtutum documenta plura in Philoſophorum ſcriptis legentibus occurrent, qui ſolius naturalis rationis ope, illorum decretorum ſe magiſtros & profeſſi ſunt, & fuerunt; omnemque beatam vitam in honeſtate collocarunt; quos inter qui ex Pythagorae, Socratis, Platonis ſchola perfluxere, ceteris omnibus antecellere viſi ſunt.

Sed antequam longius progrediamur, ſtatuendus eſt numerus Sacrarum Scripturarum, definiendumque qui libri pro divinis, divinaeque auctoritatis haberi debeant. Eorum omnium catalogum in *Canone* Scripturarum ab Eccleſia Catholica deſcriptum habemus. *Canon* vero idem ac *regula*. Hinc *Canonicus* liber latine *regularis* dici poteſt, propterea quod ad firmandam fidem, vel ad componendos mores, certam inconcuſſamque ſtatuit regulam. Ac de numero

IX. *De Canone Scripturarum.*

quidem

quidem Sacrorum Librorum acris, ac diuturna inter rerum ſacrarum Scriptores fuit diſſentio, plures alii, alii contra pauciores adſtruentes. Sed in Catholicorum Canone haec continentur volumina, nempe Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, quae quinque volumina *Pentateuchi* nomine deſignantur: ſubinde ſequuntur Joſue, Judicum, Ruth, libri quatuor Regum, duo Paralipomenωn, primus Eſdrae, & ſecundus qui Nehemias dicitur, Tobias, Judith, Eſther, Job, Davidis Pſalterium CL. complectens Pſalmos, Parabolae, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, quatuor Prophetae majores, qui ſunt Iſaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, & Daniel: duodecim minores, nempe Oſee, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum libri primus & ſecundus. Haec omnia volumina in Veteri Teſtamento; in Novo autem ſunt quatuor Evangelia, Matthaei, Marci, Lucae, & Joannis: Actus Apoſtolorum, Luca Evangeliſta auctore: quatuordecim Epiſtolae D. Pauli, una ad Romanos, binae ad Corinthios, ad Galatas una, una ad Epheſios, una ad Philippenſes, ad Coloſſenſes item una, binae ad Theſſalonicenſes, ad Timotheum binae, una ad Titum, una ad Philemonem, ad Hebraeos una: Petri vero Apoſtoli binae, Joannis Apoſtoli tres, una Jacobi Apoſtoli, Judae Apoſtoli una, & Apocalipſis Joannis Apoſtoli. Ex hoc autem Catalogo expungere plures libros conati ſunt haeretici, eos praeſertim, qui ſuae ſectae decretis minus conſentanei viſi ſunt. Quorum in utramque partem argumenta & difficultates, quia longas,

gas, ac pene infinitas continent diſputationes, in praeſentia hic percenſere minime neceſſe ducimus, ea rationum momenta huc afferre contenti, quae homini de Religione recte ſentienti omnem dubitationem ea ſuper re de medio tollunt. Nimirum in rebus ad Chriſtianam Religionem pertinentibus maximi ponderis argumentum putandum eſt, quod ex priſtina, vetuſtiſſimaque Eccleſiae inſtitutione deſumitur. Certum enim illud indicium, atque haud ſcio an majus unquam allegari queat, eam doctrinam ex ipſis Apoſtolorum temporibus, ac praeceptionibus manaviſſe. Nihil autem adaeque Chriſtianis credendum quidquam proponi poteſt, quod ex Apoſtolorum diſciplina non proficiſcatur; ii enim, utpote e Chriſti ſchola venientes, quidquid ad pie ſancteque colendum Numen pertinet, ſatis abunde ceteros mortales docuerunt. Hos vero, quos enumeravimus libros, in ipſis apoſtolicis temporibus canonicos fuiſſe comperimus, quum ad unum omnes in ſua Epiſtola tertia ad Exuperium Toloſanum jam inde ab anno cccc. ſcripta, ut receptos jam in Catholica Eccleſia, enumerat Romanae Eccleſiae Antiſtes Innocentius I. nunquam certe id audacter affirmaturus ſanctiſſimus Pontifex, niſi a viris Apoſtolicis accepiſſet. Nam etſi nomen *Baruch* illo in Canone Innocentii minime reperiatur: id profecto evenit, quod Baruch in Hieremiae Prophetia continebatur; fuit enim ille Hieremiae Scriba (*a*); ac propterea quidem teſtimonia omnia libri illius Baruch a veteribus Patribus

(a) *Auguſt. lib.* 18. *de Civ. Dei*.

tribus adhibita, tanquam ex Hieremia deſumpta allegantur (a). Praeterea integer ille Sacrorum Librorum catalogus deſcriptus reperitur in Decreto Concilii Romani ſub Gelaſio Papa cum Epiſcopis LXX. anno CCCCXCIV. celebrati. Quod porro Decretum, tametſi ab haereticis multis ſit oppugnatum difficultatibus: poſt ſedulam vero univerſae antiquitatis inveſtigationem, doctorum judicio confirmatum eſt, illud quidem Decretum a Damaſo, qui Romanam Sedem tenuit anno CCCCXX. praeformatum fuiſſe: auctum vero, & Concilii ab ſe convocati ſuffragio confirmatum a Gelaſio: per Hormiſdam denique anno CCCCXIV. Pontificem perfectum. Illud quidem ſine dubitatione poteſt affirmari, ipſum divinarum Scripturarum Canonem quinto deſinente, ſextoque ineunte ſaeculo firmatum haberi, ut ex luculentiſſimis Eccleſiae hiſtoriae monumentis exploratum habetur. Atque, ut alia plurima antiquitatis documenta omittam, Concilium Florentinum Eugenio IV. Pontifice peractum, & noviſſime Tridentinum Seſſione IV. ſanctione ſua eum Scripturarum Canonem comprobaſſe cernimus, graviſſimaque poena ſecus Chriſtiano opinari interdixiſſe. Ex quo conficitur, quum a tota Eccleſia univerſi ac ſinguli libri illi tanquam Canonici, ac divini ſint recepti, minime providentiſſimum Deum ſiviſſe in tanto verſari errore Chriſtianum populum, ut pro ſacris, & authenticis illas acciperet Scripturas,

(a) *Clemens Alexandr. lib.* I. *Paedag. c.* 10. *Baſil. lib.* 4. *contr. Eunom. Ambroſ. lib.* I. *de Poenit. c.* 8. *aliique.*

pturas, quae ea praerogativa non fuiſſent inſignitae. Ac propterea teneamus oportet D. Auguſtini ſententiam, qui altero Doctrinae Chriſtianae libro ſapienter admodum monet, iis ſolummodo libris nos divinitatis notam tribuere, quos ab Eccleſia Catholica in Sacrorum numerum receptos comperimus.

Pertinet enim ad Eccleſiae judicium definire, qui libri in divinum Canonem ſint recipiendi, quique ex eo rejiciendi; Eccleſiaeque auctoritas certam nobis exhibet regulam internoſcendorum Sacrorum Librorum, a qua nemini Chriſtianorum licet aberrare. Etenim quas de Fide, rebuſque divinis exoriuntur quaeſtiones, Eccleſiae eſt decidere; quippe illa in hujuſmodi ſimilibuſque rebus Sancti Spiritus numen, & opem praeſentem ſemper habet, quo tuto, & ſine errandi periculo poſſit in iis ſententiam pronunciare. Nimirum de Sacris Libris judicium ferre, ſummam Religionis attingere vere videor poſſe contendere; cujus juriſdictionis tribunal aliquod in Chriſtianorum Rep. conſtitutum oportere, in dubitationem adducere quis jure poterit? Hinc merito in Deuteronomio (a) ſolemni ſanctione edictum reperimus, de rebus gravioribus controverſias non ad privatos quoſque, ſed ad eos qui habebant publicam in Synagoga poteſtatem debere referri. Nec Antiocheni de ſuborta quaeſtione de Divi Pauli doctrina, & praedicatione, judicium ſibi aſſumpſere: ſed ad Eccleſiam, nempe ad Apoſtolos, & Seniores, qui Hiero-

X. *De Eccleſiae auctoritate in approbandis Scripturis.*

(a) *Cap.* 17.

Digitized by Google

Hieroſolymis convenerant, referendum cenſuere (a). Quod quidem ſine cauſa factum non eſt. Nuſquam enim legimus tantam privato cuique tribui facultatem in Eccleſia, ut judex in ſacris Libris comprobandis ſederet. Quod ſi unquam quis tantam penes Chriſtianorum privatos quoſque aſſereret poteſtatem, intelligat porro, quam incerto, & imbecillo Scripturarum fides niteretur fundamento; quum ſinguli ad ſuam cujuſque privatam opinionem rem trahere ſtuderent; atque adeo quis unquam foret diſſidiorum finis? Nec proinde vera putanda eſt eorum opinio illa, qui ſuper Scripturas ipſas de Scripturis judicium deſumi arbitrantur. Conſtat enim ex ſupra allato *Actorum* exemplo, de divin[illegible] Pauli verb[illegible] controverſia, Apoſtolos, & Seniores, non ad Scripturas appellaſſe, verum ſeſe judices conſtituiſſe. *Viſum eſt* (inquiunt) *Spiritui Sancto, & nobis* (b), non quidem Scripturis. At ſi per Scripturas foret de Scripturis dijudicandum, profecto haud de omnium voluminum divinitate certi eſſemus, & tuti. Ex nullo quippe ceterorum librorum capite, Ruth, Eſter, & Job, alioſque complures ex Novo Teſtamento libros Canonicos eſſe, argumentum ſumere poſſumus. Ita fit, ut quoniam neque per Scripturas ipſas, neque per privatos Chriſtianorum de Scripturarum divinitate idoneum judicium eſſe poſſit, ad Eccleſiae auctoritatem recurramus oportet, quam Concilii Toletani I. Patres ſolam atque unam habere poteſtatem, qua

(a) *Actor. c.* 15.
(b) *Actor. loc. cit.*

qua Scripturas genuinas ab apocryphis ſecernere, numerumque divinorum Librorum ſtatuere ſine ullo diſcrimine valeat. Hinc celebre illud Auguſtini effatum (*a*): *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicae Eccleſiae moveret auctoritas*. Quae tamen Auguſtini ſententia non perinde intelligenda eſt, ac ſi Scripturarum fidem omnem in ſola Eccleſiae auctoritate eſſe fundatam docuerit, ut plus hominibus, quibus Eccleſia conſtat, quam Deo credi oporteret. Longe illud abeſt a praeſtantiſſimo, ac divino pene Auguſtini ingenio. Nunquam enim Eccleſia, quamvis Dei numine afflata, veritatem ullam, aut divinam auctoritatem Libris Canonicis impertitur; hanc enim dignitatem omnem Scripturae a Deo acceptam referunt, qui illarum auctor eſt, & parens; ac proinde non ad Eccleſiae, ſed ad Dei auctoritatem fides Sacrorum Librorum referenda eſt. Sed dum dicimus ad Eccleſiam pertinere de Scripturis ferre ſententiam, intelligi porro debet, Eccleſiam tantum cauſam eſſe & inſtrumentum, quamobrem nos certi ſimus, & ſecuri Pentateuchum eſſe Moyſis, Evangelium eſſe Marci. Qua poteſtate Eccleſia ex peculiari Dei benignitate & providentia pollet, ut certo ac firmo judicio ea, quae vere nobis ſunt credenda, proponeret; quum, ex Apoſtoli Pauli doctrina, non aliunde, quam hominis miniſterio, quae credere nos oporteat, nobis conſignari neceſſe fuerit.

C Cir-

(a) *Lib. contr. Epiſt. Fundamenti, ſive Manichaei*.

Digitized by Google

XI. *De variis Scripturarum interpretationibus.*

Circumſcriptis igitur his ſententiis, ſequitur, ut de variis illis Scripturarum editionibus diſſeramus. Hebraica quidem lingua principio exarata fuere divinorum librorum oracula, eo videlicet ſermone, quo Deum veteres Patres allocutum ferunt, quemque olim Hebraei familiarem habuerunt. Poſtquam vero benignitate ſua Deus ſanctiſſimae diſciplinae praecepta ad ceteras etiam nationes redundare voluit, ſivit proinde legis ſuae inſtituta aliarum linguarum ſcriptis divulgari; ut quum ad omnes omnino populos Sacrae Scripturae fructus & utilitas pertineret, in omnium etiam gentium linguas ea converteretur. Hinc certatim nationes non modo Graeci, ſed & Romani, & Aegyptii, & Perſae, Indi, Armeni, Scythae, Sarmatae, aliaeque nihil antiquius duxere, quam patrio ſermone Scripturas redditas habere (*a*). Graeci autem quum ſuis coloniis finitimas Hebraeorum regiones incoluiſſent, factum eſt, ut primi ſuo ſermone ſacri Codicis doctrinam exprimerent. Ac vetuſtiorem quidem prae illa LXX. ut vocant Interpretum, graecam editionem fuiſſe, ante ſcilicet Alexandri Magni dominationem, teſtatur Joſephus (*b*), teſtatur Clemens Alexandrinus (*c*). Plato vero, qui diſciplinae ſuae ſanctitate, & praeſtantia adeo propius ad chriſtiana inſtituta accedit, ut non modo Philoſophorum magiſter, ſed etiam Prophetarum quaſi diſcipulus veteribus Patribus habitus ſit, non aliun-

(a) *Theodoret. Therap. ſerm.* 5.
(b) *Antiquit. Judaic. lib.* 12. *c.* 2.
(c) *Stromat. lib.* 1.

aliunde certe, quam e graeca Scripturarum interpretatione, rerum illarum divinarum ſcientiam hauſit (a); quippe nequaquam veriſimile videtur, nec aliquo argumento evinci poteſt, eum aliquando hebraice ſciviſſe. Sed inter omnes Veteris Teſtamenti celebris eſt graeca interpretatio, quae LXX. vocatur. Adornata ea fuit juſſu & auctoritate Ptolemaei Philadelphi, tertii ab Alexandro Aegypti Regis; qui quum Bibliothecam ſuam undique conquiſitis egregiis voluminibus vellet exornare, hortatu Demetrii Phaleraei, quem Bibliothecae praefecerat, legatos Hieroſolymam miſit rogatum ab Eleazaro ſummo Pontifice ſacros legis hebraicae libros. Haud gravate quidem annuit Eleazarus; unaque cum divino Codice aureis exarato characteribus, LXXII. delectos ex unaquaque Tribu viros, qui utramque linguam probe callerent, ad Regem Ptolemaeum miſit. Rex tanto munere laetus, perbenigne acceptos illos LXXII. viros in conclave una coëgit, qui intra LXXII. dierum ſpatium univerſa ſacra illa Volumina ex hebraeo in graecum ſermonem tranſtulere; quae magna ſubinde celebritate, ac religione in Bibliotheca condita fuere. Plura de tota hac re diſputari ſolent, nempe an Ariſtaeas primus ejus narrationis auctor, genuinus ne ſit, an ſuppoſititius: an intra Civitatem Alexandriam, an vero in Pharum inſulam urbi proximam delecti illi LXXII. ſenes ad opus efficiendum convenerint: & plura alia his ſimilia, quae utpote minus ad

(a) *Joſephus contr. Apionem lib.* 1. *Auguſt. de Civ. Dei lib.* 18. *c.* 11.

inſtituti noſtri rationem pertinentia, apud ſcholae Theologos legi poſſunt. Illud quidem non praetermittendum, ſeptuaginta interpretes, ſiquidem vera ſunt quae ſanctiſſimi viri, iidemque doctiſſimi, Juſtinus (*a*), Irenaeus (*b*), & Clemens Alexandrinus (*c*) ſcripto nobis tradidere, univerſos omnino libros, qui tum in Canone Hebraeorum erant deſcripti, ne dum unicum Pentateuchi Codicem graeco ſermone donaſſe. Nam quod divinae tantum legis libros, quae Pentateucho potiſſime continetur, eos vertiſſe nonnulli rati ſunt: legis nomen Prophetis etiam, ac Pſalmis, ceteriſque Canonicis libris aeque a ſacris Scriptoribus eſt tributum (*d*). Nec veriſimile videtur, Ptolemaeum ejus Scriptorum generis percupidum, unius Pentateuchi Codice fuiſſe contentum, quin eadem ratione ſacra alia Judaeorum Volumina impetraret. Ac de auctoritate quidem hujuſce ſeptuaginta interpretum editionis, non eſt profecto dubitandum, eam ſicuti priſcis, ita & noſtris temporibus tantum habere ponderis, ut ad fidem, & mores conformandos certas & inconcuſſas tradat regulas. Etenim quum ea ſanctiſſimi Apoſtoli in docenda Jeſu Chriſti diſciplina ſaepiuſcule ſint uſi (*e*): de ejus fide nefas eſt dubitare. Bene quidem Auguſtinus (*f*): *Spiritus, qui in Prophetis erat, quando*

(a) *Dialog. cum Triphon.*
(b) *Lib.* 3. *c.* 25.
(c) *Stromat. lib.* 1.
(d) *Joan.* 10. & 15. *Paul.* 1. *ad Corinth.* 14.
(e) *Hjeron. lib. de opt. gener. interpr.*
(f) *De Civ. Dei lib.* 18. *c.* 43.

quando illa dixerunt, *idem ipſe erat etiam in* lxx. *viris*, *quando illa interpretati ſunt*. Graeca autem Eccleſia mordicus eam ſemper ad haec uſque tempora complexa eſt; quin *Graecorum plerique* (ut verbis utar ejuſdem Auguſtini (*a*)) *utrum alia ſit aliqua*, *ignorant*. Qui tamen ne in re tanti momenti diu miſereque errarent, Dei providentia cautum eſſe credendum eſt. Quamvis autem a lxxii. viris elucubrata ea ſit interpretatio, nos tamen commodiori uſi vocabulo, eam lxx. Interpretum editionem vulgo appellamus. Plures aliae recenſentur graecae interpretationes, ut illa Aquilae, Theodotionis, Symmachi, Luciani, & tetrapla, hexapla, & octupla Origenis, quae, ut ſcribit D. Hjeronymus (*b*), bibliothecas quondam implevit: innumeraeque aliae, quas nos conſulto praetereuntes, ad Latinas, ac deinceps ad Vulgatam accedimus, quae ſola ſatis eſt idonea, unde homo chriſtianus abunde bene beateque vivendi praecepta arripere valeat.

XII. *De Latinis Scripturarum interpretationibus.*

Quia vero Romani juſtis piiſque gerendis bellis, domitiſque nationibus, una cum imperii ſui finibus latinae quoque linguae uſum latiſſime propagarunt: ut latinus ſermo, qui antea intra Latii cancellos coërcebatur, per omnes imperii regiones divagaretur: factum eſt, ut Romana etiam lingua, quae feliciſſimae Crucis titulo nobilitata jam fuerat, certatim divinae Scripturae divulgarentur. Sublatis enim ex hac regione Apoſtolis, tametſi plurima illorum prae-

(a) *Loc. cit.*
(b) *Epiſt.* 89.

cepta ore tradita Chriſtiani cuſtodiebant: neceſſe tamen prorſus fuit, ut ſacrarum etiam Litterarum adjumento mortales uterentur, ex quibus, tanquam ex uberiori latifundio chriſtianae doctrinae haurirent inſtituta. Porro latinae utriuſque Teſtamenti tot principio ex graeco prodidere interpretationes, quot propemodum graeca extitere exemplaria; propterea quod primis illis Chriſtianae Religicnis temporibus, ut in cujuſque manus venerat graecus codex, & aliquantulum is facultatis ſibi utriuſque linguae habere videbatur: continuo ſuo quiſque arbitratu Scripturas latinitate donare aggreſſus eſt (*a*). Quocirca brevi temporis intervallo tot prodiere Scripturarum latinae editiones, ut eas nequaquam numerari facile poſſe Auguſtino viſum ſit (*b*). Sed ea, quae *Itala* dicebatur, quum verborum tenacior eſſet, majoremque praeſeferret ſententiarum perſpicuitatem, ceteris facile anteponebatur (*c*); quam propterea non dubitavit Gregorius Magnus (*d*) *Veterem*, ac *Vulgatam* appellare. Sed nemo omnium felicius, melius nemo eas unquam eſt interpretatus, quam Divus Hjeronymus Stridonienſis. Vir ille cum omnibus liberalibus diſciplinis, tum praeſertim ſacra eruditione ornatiſſimus, poſtquam in divinarum Litterarum prudentia Gregorium Nazianzenum Theologum audivit, poſtquam plurium lin-

(a) *Heron. praefat. in Joſue*, *Auguſt. de doctr. Chriſt. lib.* 2. *c.* 11.

(b) *Loc. cit.*

(c) *Ib. c.* 15.

(d) *Praefat. in lib. Moral. cap.* 5.

linguarum cognitionem ſibi comparavit, conſuluitque in Sacrae Scripturae intelligentia Hebraeorum eruditiſſimos viros: ad Scripturas ipſas interpretandas totum ſeſe convertit; qui tametſi eam ob rem acres ſubierit nonnullorum reprehenſiones: unius tamen magni Auguſtini judicio ac teſtimonio, contra omnium obtrectatorum maledicta intrepide dimicabit. *Non defuit* (ait ille (*a*)) *temporibus noſtris Presbyter Hjeronymus, homo doctiſſimus, & omnium trium linguarum peritus; qui non ex graeco, ſed ex hebraeo in latinum eloquium eaſdem Scripturas convertit.* Ejuſque doctrinae propugnator Proſperus (*b*):

Hebraeo ſimul, & Grajo, Latioque venuſtus
Eloquio, morum exemplum, mundique magiſter
Hjeronymus.

Tantus igitur vir, rogatu primum Damaſi Romani Pontificis, Novi Teſtamenti voluminibus manus admovit; quae ſcilicet nequaquam ex graeca in latinam convertit linguam; ſed emendavit tantum; quorum exemplaria quum immane inter ſe variare animadvertiſſet, collatis codicibus, quae eſſent illa, quae cum graeca veritate conſentirent, ſtatuit (*c*), expoſuitque diligenter cauſam & rationem eorum omnium, quae in ea emendatione peregit; quod ſane opus eum feliciter admodum abſolviſſe narrat Auguſtinus (*d*). Longe tamen errarunt, qui hanc

(a) *De Civit. Dei lib.* 18. *c.* 43.
(b) *De Ingratis v.* 67.
(c) *Hjeron. praefat. in Evang. ad Damaſum P. & lib. de Script. Eccleſ.*
(d) *Epiſt.* 9. *c.* 4.

Novi Teſtamenti emendationem, velut integram e veſtigio interpretationem Hjeronymo adſcripſerunt (*a*). Damaſo autem extincto, urbe relicta, in Palaeſtinam conceſſit, ubi magno ſtudio omnes hebraicae ſapientiae doctos conſuluit, brevique tempore quidquid eruditionis ad Scripturarum ſcientiam conduceret, adeptus eſt. Antea quidem ex graeco LXX. Canone ſenſim nonnullos libros in latinum converterat (*b*); tandem vero ſatis jam rebus omnibus inſtructus, quod nemo alius antea tentaverat, integram veteris Teſtamenti ex hebraeo in latinum ſuſcepit interpretationem (*c*), eamque cumulatiſſime peregit, praepoſuitque ſingulis voluminibus Praefationes, in quibus quale interpretationis genus in Scripturis ſanctis ſecutus ſit, ſane quam erudite demonſtravit (*d*). Animadvertendum tamen hic eſt, *Tobiae* quoque & *Judith* libros, quos pro ſacris non habebant Judaei, nec proinde in ſuum receperant Canonem, latinitate eum donaſſe, auctoritate certe motum plurium Catholicarum Eccleſiarum, quae jam inde rite ac graviſſimo judicio inter Canonicos libros repoſuerant. E converſo autem omiſit *Sapientiae*, *Eccleſiaſtici*, *Baruch*, & *Machabaeorum* libros, propterea quod nec hebraice extabant, nec in cano-

(a) *Hjeronym. praefat. in Paralip. & Auguſt. epiſt.* 10.

(b) *Hjeronym. Apolog.* 1. *lib.* 2., *& Auguſt. epiſt.* 10. *ad Hjeron.*

(c) *Hjeron. de Script. Eccl., & Auguſt. de Civit. Dei lib.* 18. *c.* 43.

(d) *Hjeron. epiſt. inter illas Auguſt.* 11.

canonem Hebraeorum cooptatos invenerat. Quos tamen omnes, quum graviores Catholicorum Eccleſiae pro divinis recenſere coepiſſent, poſtmodum univerſalis Eccleſiae auctoritas, & judicium acceſſit, ut de eorum divinitate ſine magno piaculo nobis dubitare non liceat. Sed ut ad Hjeronymum redeamus, eam ipſe editionem juſtis de cauſis, iiſque graviſſimis, non ut vanam eruditionem oſtentaret, aggreſſus eſt. Etenim, quamquam LXX. interpretatio omnium Chriſtianorum animos aureſque occupaverat jam, roboraveratque naſcentis Eccleſiae fidem: quia tamen pro varietate regionum ac linguarum diverſa circumferebantur exemplaria, ut germana illa, & antiqua translatio non utique conſtaret, ſed corrupta ſane, ac violata manifeſto appareret: propterea novam aliam interpretationem elucubravit, ut quid verum ſincerumque eſſet ſtatueret, tolleretque illam ſententiarum contrarietatem *(a)*. Atque de hujuſce ſuſcepti operis ratione minus aequum hominum judicium expertus eſt Hjeronymus. Sicuti enim ejus in novum Teſtamentum animadverſiones, unum ſi excipies Rufinum, nemo certe fuit qui non laudavit: ita ipſius de hebraico fonte translatio plurium in ſe criminationes concivit, indignum quidem facinus reputantes ab LXX. interpretum fide vel hilum recedere, quae ipſorum jam fuerat Apoſtolorum auctoritate comprobata; verenteſque ne Chriſti plebs rei novitate perturbaretur, quorum mens & corda primaevam illam interpretationem nimium familiarem ſibi reddiderant. Atta-

(a) *Hjeron. praefat. in Paralip.*

Attamen aetate D. Gregorii Magni auctoritatem jam in latina Eccleſia nactam fuiſſe comperimus. Legimus enim eumdem Gregorium utraque editione Itala nempe antiqua, & nova D. Hjeronymi uſum fuiſſe (*a*). Procedentibus vero temporibus, quum ejus ſinceritatem, & cum hebraeo textu convenientiam deprehendiſſent doctiores, ſenſim, ac tacito Eccleſiae conſenſu apud omnes Chriſtianos obtinuit (*b*). Plures alias interpretationes, poſtremis praeſertim editas temporibus, omittimus, ad latinam Vulgatam progreſſuri, quae omnium inſtar eſſe debet.

XIII. *De vulgata interpretatione.*

Conflata ea prorſus eſt ex utraque illa, Itala, & Hjeronymiana ſimul. Et quod ad Vetus attinet Teſtamentum, illud idem eſſe, quam quod ex hebraico fonte in latinum convertiſſe Hjeronymum ſupra eſt demonſtratum, ambigi certe non poteſt. Inter vulgatam enim, de qua loquimur, & illam Hjeronymi, miram convenientiam & conſentionem, ſi utramque contuleris, licet animadvertere, non in ſententiis modo, ſed in ſingulis pene verbis; plurimum autem ea diſcrepat a graeca LXX. translatione. qua quondam Eccleſia religioſius uſa eſt. Non omnium autem noſtrae Vulgatae voluminum interpretationes Hjeronymum agnoſcunt auctorem. Nam etſi inter Hjeronymi ſcripta adnumeratur latina Pſalterii editio, quod ex hebraea lingua ille converterat: quam tamen hodie Eccleſia ſequi-

(a) *Gregor. M. epiſt. in Moral. lib. ad Leandrum.*

(b) *Iſidor. etymol. lib. 6. c. 5. & Hugo Victor. lib. de Scripturis c. 9.*

ſequitur interpretationem, legimuſque in noſtra Vulgata, diverſa omnino eſt ab illa Hjeronymi, non ea ſolum, quam ex hebraeo idem transtulerat, ſed quam ad graecum LXX. interpretum textum olim emendaverat. Ac propterea hanc Pſalterii interpretationem ex antiqua Itala in recentiorem Vulgatam immigraſſe putandum eſt. Quod ea fortaſſe de cauſa factum arbitror, ne nova Hjeronymi Pſalterii translatio apud rudem populum aliquam novitatis ſuſpicionem pareret, qui univerſos jam Davidis Pſalmos ex quotidiano uſu & exercitatione jam ante Hjeronymi aetatem memoriae mandaverat. Ex veteri pariter Itala editione retinuiſſe Eccleſiam eorum librorum interpretationem conſtat, quos in ſua translatione ipſum omiſiſſe ſupra diximus: cujuſmodi ſunt *Sapientiae*, *Eccleſiaſtici*, *Baruc*, & *Machabaeorum* libri: idque ex ſtyli diverſitate facile quoque poteſt intelligi. Sed de Veteri ſatis; Novi autem Teſtamenti latina interpretatio tota eſt ex graeco textu parata; de cujus translationis auctore tametſi nihil compertum habeamus, quum tamen a prioribus uſque ſaeculis eam in Occidentali Catholicorum Eccleſia in uſu fuiſſe pluribus argumentis evincatur: eam non aliam eſſe pro certo tenendum eſt, quam quae ab Hjeronymo *Communis*, & *Vulgata*, ab Auguſtino *Itala*, a Gregorio M. *Vetus* fuit appellata. Eamdemque ab ipſo Hjeronymo, hortante maxime Damaſo Pontifice, fuiſſe emendatam, docent nos plura illa loca, quae ad graeci textus fidem in latina Vulgata ipſemet eſt interpretatus, eaque in noſtra Vulgata hodie occurrunt. Nam quamvis nonnulla alia in Vulgata non reperiantur, quae Hjeronymus in ſua emendaverat interpretatione:

tatione: id profecto conſulto certaque de cauſa ab eo factum eſt, qui in ſuis animadverſionibus ita ſeſe calamo temperaviſſe profeſſus eſt, ut iis tantum, quae ſenſum videbantur mutare, emendatis, reliqua eadem remanere paſſus ſit (a); ne ſcilicet incommodam aliquam ſuſpicionem in Chriſtianorum animos induceret, qui aures ſuas veteri Italae editioni pie accommodaverant. Atque hinc illam in noſtri Canonis Scripturis diverſitatem dictionis ortam agnoſcimus. Quos enim libros Hjeronymus latinitate ex integro donavit, utpote qui in humanioribus litteris non mediocriter eruditus, cultiori ſunt exarati ſtylo, iſque ad proprietatem latini ſermonis magis accedit. Qui vero libri veterem illam interpretationem retinuere, elocutionem habent apertam, ac naturalem, & in medio poſitam; nullo tamen pacto barbaram eam poſſumus exiſtimare. Nam quamvis ea plurimis ſcateat vocabulis, quae in primi, alteriusve Eccleſiae ſaeculi Scriptoribus fruſtra requires, neque ex graeca dictione manaſſe appareat: ea tamen verba omnia latina prorſus agnoſcere debemus, quum vetuſtiſſima ſit Itala editio, atque vel ipſo primo vertente ſaeculo, aut ab eo non longe, parata fuerit. Sed ſi verba illa in ejus aetatis auctorum ſcriptis non inveniuntur, propterea eveniſſe arbitror., quod ipſa Scripturarum lectio non ad litteratorum modo, ſed ad plebis etiam, ipſiuſque rudis popelli eruditionem ſuſciperetur, unde bene pieque vivendi rationem deſumere oportebat; ac proinde opti-

(a) *Hjeron. praefat. ad Damaſum.*

optimo jure interpres ille, quiſquis fuerit, ſermonem adhibuit ſimplicem, ac familiarem, quemque in quotidiano ſermone Chriſtiani uſurpabant. Atque hinc magnam illam ſimilitudinem, & affinitatem recentioris Italici ſermonis cum ea Scripturarum dictione deprehendimus. Qua enim nunc utimur in Italia lingua, eam ab illa vulgari, & communi latina lingua originem & initium habuiſſe, jam pridem viri docti obſervarunt.

XIV. *De auctoritate vulgatae editionis.*

Hinc noſtra haec Vulgata latina editio jure maximam auctoritatem meruit in univerſa Chriſti Eccleſia. Eam enim plures Eccleſiae jam inde ab Hjeronymi uſque aetate receperunt, praepoſueruntque ceteris aliis, quae haud parvo numero per ea tempora circumferebantur. Sed quod maximi eſt faciendum, Romana Eccleſia, quam prae ceteris aliis omnibus majore pollere auctoritate, nemo ſanus unquam negaverit, jam Gregorii M. aetate ea una cum Itala veteri, conſtanter utebatur (*a*); donec ſtatim poſt ipſius Gregorii tempora, obſoletis jam aliis, una Vulgata editio in omnibus occidentalibus Eccleſiis obtinuit. Nullum enim vel generale, vel peculiare Concilium, nullus e Latinis Patribus, ac Doctoribus invenitur, qui in ſuis ſanctionibus, homiliis, aut commentariis, aliunde, quam e Vulgata latina editione teſtimonia ad Religionis dogmata confirmanda deſumpſerit. Quae quidem quum longo tot ſaeculorum uſu in ipſa Eccleſia rite fuerit probata, jure, ac graviſſimo ſane judicio Concilii Tridentini Patres

tres

(a) *Gregor. M. praefat. Moral. ad Leandrum.*

tres illam *Authenticam* declararunt. Authentica quidem, quod multorum auctoritate ſit confirmata, quod ſua vi fidem faciat, quod ei refragari nullo pacto poſſimus. Quid igitur? Originalia ne propterea hebraici, graecique textus rejicienda, aut repudianda fortaſſe, nulloque in pretio habenda cenſuit Tridentina Synodus? Nihil profecto minus. Id enim aperte adverſatur Hjeronymi (*a*), & Auguſtini (*b*) luculentis teſtimoniis, quorum ea fuit conſtans, & perpetua ſententia, ſi qua unquam apud Latinos quaeſtio de Scripturarum intelligentia orta fuerit, interque exemplaria, aut vitio librariorum, aut temporis injuria, varietas aliqua deprehendatur, ad hebraicos, graecoſque fontes eſſe recurrendum. Numquam enim Tridentinum Concilium fontes ipſos reprobavit. Sed ſi nullam eorum mentionem fecere Patres, id ſine dubio in cauſa fuit, quod propoſitum ſolummodo tunc habuere, ex latinis interpretationibus Vulgatam noſtram, tanquam veriorem, dilucidiorem, ac ſuis fontibus, unde exorta eſt, magis conſentientem declarare, quamque in iis, quae ad fidem, & mores pertinent, abunde complecti omnia, conſtituere; quo tuto poſſint Chriſtiani ſine ullo errandi periculo, huic Vulgatae editioni adhaerere, ad eamque vitae cujuſque officia omnia componere.

XV. *De integritate Scripturarum.* Quid proinde? Poſt tot Scripturarum fata, & viciſſitudines, poſt tot interpretationes, atque edi-

(a) *Epiſt. ad Suriam & Fretellam*, *& epiſt. ad Lucianum*.

(b) *De Civ. Dei lib.* 15. *c.* 13.

editiones, in tanto intervallo, ac temporis decurſu, nullane in illas irrepſit ſententiarum diverſitas, nulla contrarietas, quae divinorum oraculorum integritatem violaret? Nulla profecto. Id enim univerſe indignum quidem divina Sapientia, & benignitate, qua Deus hominibus in re maximi momenti nunquam ſe non adfuturum profeſſus eſt; ut ſi in pernoſcenda Scripturarum veritate ſineret eos errare, ſineret etiam ſingulos errare in deligendo verae Religionis cultu: quo nihil fingi poteſt Dei providentiae contumelioſius. Jam vero quod ad vetus Teſtamentum, Eſdras de Hebraeorum recta religione majorem in modum ſollicitus, quum in Templi Hjeroſolymitani conflagratione Scripturarum volumina abſumpta fuiſſe cerneret, poſt Babilonicam captivitatem nihil antiquius duxit, quam in unum corpus redigere univerſos ſacros libros, eoſque a mendis, ſi qua in illos, ob captivitatis depravationem irrepſiſſent, expurgare. Igitur non ſua tantum auctoritate, tametſi doctiſſimus eſſet Scriba, ſed adhibito etiam univerſo Sacerdotum, ac Patrum Senatu, collatiſque inter ſe pluribus exemplaribus, e Scripturis errata omnia eraſit, priſtinaeque integritati reſtitutas, eas in unum corpus ordinavit; ut proinde ob egregiam ſuam navatam operam, merito Eſdras hujus Hebraeorum Scripturarum Canonis auctor perhiberetur (*a*). Nullam vero immu-

(a) *Irenaeus lib. 3. c. 25. Tertull. de habitu mulier. Clem. Strom. lib. 1. Hilar. praefat. in Pſal. Chryſoſt. homil. 8. in epiſt. ad Hebraeos.*

immutatam fuiſſe ſacri Codicis ſententiam, quae integritatem quidquam laederet, nullus alius, quam Hebraei ipſi validius argumentum exhibent, qui in diverſas terrarum regiones diſſipati, exaſperatique inter ſe mutuis odiis, nunquam tamen de Scripturarum corruptione, aut alicujus momenti depravatione eos conqueſtos legimus; quum tamen eadem haberent legis inſtituta, eoſdem Moyſis libros, eamdemque denique Scripturam religioſe conſulerent. Scite Auguſtinus (*a*): *Anne credibile eſt, ipſos codicibus ſuis voluiſſe eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem, vel per totum orbem diſperſos potuiſſe in hoc conſpirare, nullo contradicente?* Chriſtus autem Dominus quum ſaepe plura crimina in Scribis, & Phariſaeis redarguerit, nunquam tamen eos aliquando ſacros libros aut vitiaſſe, aut adulteraſſe accuſavit (*b*); quod flagitium, ſi patratum unquam fuiſſet, quum eſſet maximum, minus veriſimile videtur Chriſtum, & Apoſtolos unquam aut diſſimulaſſe, aut reticuiſſe. Quod ſi nuſquam Chriſtus eam corruptionem Judaeis exprobraſſe apparet, quin imo illos paſſim ad Scripturas ſcrutandas amandat (*c*), nefas eſt nobis de hebraici textus integritate dubitare. Nec minus abſurdum eſt, vitiatos fuiſſe veteres Codices poſt Servatoris adventum ſuſpicari. Nam quum Chriſtus Dominus, & Apoſtoli praedicationem omnem, ac novae Legis originem e ſacris potiſſimum Hebraeo-

(a) *De Civ. Dei lib.* 15. *c.* 13.
(b) *Hjeron. in cap. 6. Iſaïae.*
(c) *Joan. cap.* 5.

braeorum libris eruerint : quid tam proclive, quam Hebraeos, alioſque Chriſtianae Religionis hoſtes infeſtiſſimos in Chriſtianos inſultare, ſi Scripturarum depravationem aliquam potuiſſent objicere? Atque adeo nec Judaei ipſi quicquam de Scripturis detruncare, aut addere potuere, poſtquam divinus Magiſter, ejuſque Diſcipuli, ad chriſtianam confirmandam doctrinam, tot ex illis protulere teſtimonia (*a*). At nonnullae in diverſis Scripturarum editionibus occurrunt variationes. Quid ni? Imo & plurimae. Sed eae tanti non ſunt, ut vel hilum adverſus ſanam fidem, & mores ſtatuant. Irrepſere quidem plurima errata in univerſum tum Veteris, tum Novi Teſtamenti Codicem, vel amanuenſium oſcitantia, vel interpretum incuria, aut inſcitia; quae tamen levioris eſſe momenti, nec quicquam ſummae Religionis officientia, plane conſtat. Haec quidem de veteris Canonis: de novi autem Canonis integritate ſimilia certe proferri poſſunt. Nam quum Chriſtiana Religio jam inde ab ortu ſuo in plures ſectas ſit divulſa; ſingulae autem ſectae ſua cuſtodiebant ſacrorum Voluminum ſcripta : nuſquam tamen comperimus, quum mutuis odiis diu acriterque certarent, invicem de violatae ſacrae Scripturae crimine expoſtulaſſe, in iis praeſertim rebus, quae fidei, morumque vim attingebant : haud quidem criminationes omiſſurae, ſi una adverſus alteram divini Codicis corruptionem potuiſſet coarguere. Nihil enim ſanctius illas, ac majori religione conſervaſſe ex

D vete-

(a) *Hieron. in cap. 6. Iſaïae.*

Digitized by Google

veteribus monumentis colligimus, quam ſacrotum Voluminum depoſitum. Nec Epiſcopi majorem unquam curam & diligentiam in Conciliis praeſetulerunt, quam Scripturas integras, puras, ſuo originali concinnas retinere, unde quotidie ad ſua aſtruenda dogmata, adverſus peregrinas haereticorum opiniones, teſtimonia deſumebant. Proditque Tertullianus (a) ſua etiam tempeſtate autographas, ſive authenticas ſacras Litteras recitari in Eccleſiis conſueviſſe; ad eaſque ſummo verborum pondere haereticos, ceteroſque chriſtiani nominis hoſtes provocat.

XVI. *De laudibus Scripturarum, & earum utilitate.*

Neque mirum cuiquam videri debet, ſi uniuſcujuſque aetatis Chriſtiani tanta religione & cura divina haec volumina ſervaverint, tantoque ſemper habuerint in pretio: ut qui olim illa praevaricatores quidam chriſtianae diſciplinae hoſtibus prodiderint, turpi Traditorum nomine fuerint notati (b). Nimirum nihil praeſtabilius fingi unquam, aut excogitari poſſe exploratum eſt, prae Sacratum Scripturarum dignitate & excellentia, quae caeleſtem illam doctrinam continent, Supremique Numinis virtutem & majeſtatem praeſeferunt. Nam ſi tantopere Platonis, Ciceronis, aliorumque ſcripta ſuſpicimus, quod hi ſua dicendi ratione, rerumque, quam profitentur, ſcientia, ceteris mortalibus profuiſſe viſi ſunt: quid de divinis libris dicendum eſt, qui ipſum Deum Opt. Max. auctorem habent; ipſum inquam immortalis ſapientiae magiſtrum, quo

(a) *De Proſcript. adverſ. haeret.*

(b) *Concil. Arelaten. I. Can.*13. *Auguſt.lib.*7. *de Baptiſm.contr.Donatiſt.c.*2.

quo quis melius unquam hominum generi conſuluiſſe putandus eſt ? Atqui veriſſime ab Apoſtolo ad Romanos (*a*) ſcriptum agnoſcimus : *Quaecumque ſcripta ſunt , ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt , ad quos fines ſaeculorum devenerunt: ut per patientiam , & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus* . Ac jure quidem Zeleuci , Solonis , Lycurgi vehementer leges laudari videntur, quibus naturam ipſam, naturalem ſcilicet ſocietatem , honeſtatemque inter homines provexiſſe feruntur. Hi tamen, quum magno conatu id tentaſſent, perficere certe haud potuere. Nunquam enim eo pervenerunt , ut perfectam , atque ab omni tutam vi & impreſſione, cum juſtitia copulatam conſociationem ſtabilirent . Sola vero ea laus eſt Scripturarum divinarum, quarum doctrinae vis omnis & ratio , quum ad duo illa ſumma capita referretur , hoc eſt , ad Dei , & ad hominum amorem ; ex his duobus fontibus omnem Reipublicae ſalutem , & tranquillitatem oriri , quis unquam dubitaverit? Semel enim inter mortales ubi fuerit conſtitutum, Deo rerum omnium parenti ſuum cultum tribuendum , homines autem propter Deum ipſum diligendos , ut etiam in indignatione & ſimultate, mutua caritate invicem ſeſe proſequantur , nec quidquam compendii, aut commodi ſui cauſa cum alterius detrimento velle: quae pax , obſecro, quae felicitas in univerſo populo firmaretur ? Egregie ſane Auguſtinus ad Voluſianum ſcribens (*b*), *Hinc etiam* (ait) *laudabilis Reipublicae ſalus ; neque enim conditur,*

(a) *Cap.*15.
(b) *Epiſt.*137.*c.*5.

& cuſtoditur optime Civitas, niſi fundamento, & vinculo fidei, firmaeque concordiae, quum bonum commune diligitur, quod ſummum, ac veriſſimum Deus eſt, atque in illo invicem ſinceriſſime ſe diligunt, cui, quo animo diligant, occultare non poſſunt. Igitur ſi leviter quidem Sacras Scripturas attingimus, ſingula cujuſque ſive aetatis, ſive ordinis officia, quibus homines vacare ſine maximo piaculo non poſſunt, abunde deſumere inde licet. Etenim unumquodque illarum caput nihil aliud propoſitum habet, quam ſtatuere non incertam aliquam, & vagam, ſed firmam, & conſtantem de Deo immortali, ejuſque divina natura ſententiam, de diſciplina hominum, de juſtitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium: quae docent non infinitis, & concertationum plenis diſputationibus, ſed auctoritate, atque inſita ſententiis ipſis gravitate, quemadmodum domitas habeamus libidines, coerceamus omnes cupiditates, ab alienis mentem, oculos, manus abſtineamus: quodque facere non liceat, id ne cogitare quidem fas eſſe putemus. Ut, quod Lucius Craſſus apud Tullium de XII. Tabularum legibus ait, id potiori quidem jure nos dicere juvet: Fremant omnes licet, dicam quod ſentio: bibliothecas profecto omnium Philoſophorum unus Sacrae Scripturae liber, ſi quis verae ſapientiae praecepta viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperat. Haec enim animum verae Philoſophiae praeceptis imbuit, haec in caelum mentem rapit, haec memorem immortalis beneficii hominem reddit, haec efficit ne quidquam ex mortalibus caduciſque rebus admiremur: ſed perpetuo in illa beatorum vita mente & cogitatione verſemur, & ad Dei aeternam

mer-

mercedem reſpicientes, audacter omnes jacturas, omniaque incommoda perpetiamur, alacriterque omnes virtutum labores exhauriamus. Ex illa diſcere licet praeſentem Dei opem, & providentiam, juſtorum fortitudinem, magnitudinem praemiorum. Illa exempla nobis proponit praeſtantiſſimorum virorum, quibus ad aemulationem, & imitationem ſolidae Philoſophiae excitemur, ut non torpeamus in virtutis concertationibus, neve inanes populi auras captemus: ſed futurae vitae ſperatam gloriam conſectantes, divinis confidamus promiſſionibus, etiam antequam eveniant (*a*). Hinc dignitatis, atque laudum omnium plenae illae Patrum voces, quibus divinus hic Liber mirifice exornatur. Alibi enim illum perenni ſalubrique fonti conferunt, qui ſuis ſuaviſſimis laticibus, nedum ſitim omnem in ipſo aeſtivo calore depellit, ſed omnibus etiam corporis, animique morbis medelam praebet (*b*). Alibi theſauro comparatur, unde quo plura exhaurias, eo majora ſemper invenies, nec unquam deficit (*a*). Sed referta ſunt omnium Sanctorum Patrum hujuſmodi exemplis volumina, quorum plura hic referre minus neceſſe ducimus. Illorum potius eſt hic explodendus error, qui inanis cujuſdam ſapientiæ opinione inflati, quum ſeſe penitus profanorum auctorum lectioni dedidiſſent, captique eorum orationis lenociniis, minus ſe poſſe os ad Scripturas evolvendas admovere dictitant, quod earum dictionis genus

D 3 nulla

(a) *Chryſ. in geneſ. homil. 35.*

(b) *Chryſ. de utilit. lect. S. Script. in princ. Actor. 3.*

Digitized by Google

nulla ſit eloquentiae ſuavitate conſperſum. Si quis unquam hujuſmodi opinionis vanitatem forte animo imbiberit, nae ille fateatur oportet, ſe omnino ignorare quale ſit apte graviterque dicere. Orationis enim dignitas, non meo, quod nullum eſt, ſed doctorum judicio, non in verborum floſculis, & pigmentis poſita eſt, ſed potius in ſententiarum gravitate, & pondere: tum ſententiarum illa vis aptis ſit comprehenſa verbis, & ad intelligendum idoneis (*a*). Quo in utroque genere, longe ceterorum auctorum ſcriptis praeſtare divinorum Librorum dicendi rationem, haud aegre fatebitur, qui rebus graviſſimis, non inani verborum ſonitu delectetur. Quare veriſſimam eſſe B. Pauli (*b*) ſententiam agnoſcimus, qua nos monet, omnem Scripturam divinitus inſpiratam, utilem eſſe ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

XVII. *De neceſſitate conſulendi Scripturas.*

Quae hactenus dicta ſunt plane oſtendunt, nihil aeque Chriſtianis eſſe neceſſarium, quam ſingulis pene momentis ſacros libros conſulere, meditari, urgere; ut nulla ſit vitae pars, neque publicis, neque privatis, neque alienis, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, quae vacare lectione Scripturarum poſſit. Sunt enim communis Chriſtianorum ſchola, a qua nemo ſua ſine fraude recedet. Inde enim Religionis officia omnia, ac bene beateque vivendi prae-

ce-

(a) *Chryſ.in genſ.homil.*37.
(b) 2.*ad Timoth*.3.

cepta petamus, ac propterea ſinguli in illis noctes & dies verſemur oportet. *Non recedat* (inquit Deus (*a*)) *volumen legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus*. Hinc merito ait D. Baſilius (*b*), propterea a divino Spiritu nobis traditam eſſe Scripturam, ut in ea, velut in quadam curandorum animorum officina, quotquot Chriſti diſciplinam complexi ſumus, ad noſtrum cujuſque morbum ſanandum, medicinam ſeligere poſſimus. Nimirum nihil aliud ſunt divinae Scripturae, niſi quaedam caeleſtis Parentis Dei ad nos homines epiſtola. Atqui ſi quis noſtrum alicujus mortalis Regis litteras unquam acceperit, qua alacritate, quo ſtudio inflammatus hoc unum ceteris rebus omnibus praeverteret, ut ſaepius illas perlegendo, quid ſcriptum acceperit, probe pernoſceret, atque intelligeret. Summi vero Regis, Caelum ſcilicet, atque terras tuentis, & regentis Dei, divinitus ad nos miſſas Sacras Litteras, quibus unice noſtra ſalus continetur: quo digni erimus ſupplicio, ſi tanquam ſupervacuam rem, & nullius momenti contempſerimus, nec ut illas legamus, ac perſcrutemur, curam adhibebimus? Nulla autem perniciosior, aut Chriſtianae Reipublicae magis exitioſa opinio unquam fuit (*c*), quam eorum illa, qui Scripturarum lectionem ad ſacros tantum Miniſtros divinis rebus addictos ablegant; ceteros autem Chriſtianos tanquam ab re noxia, ſic ab ea deterrent

(a) *Joſue c.* 1.
(b) *Homil. in pſalm.* 1.
(c) *Chryſ. in Matth. homil.* 7.

terrent, nedum avocant. Adverſus quos acrior eſt Joannis Chryſoſtomi querela, qui eo vel maxime iis qui uxoris, ac liberorum, qui rei domeſticae curam gerunt, ſine diſcrimine Scripturarum lectionem prorſus eſſe neceſſariam contendit; propterea quod hi potiſſime, qui in medio verſantur, & quotidie vulnera accipiunt, multo magis medelae indigeant; quare nihil deterius, magiſque nefarium eſſe duxit, quam eas non legere, aut ſupervacaneas, & inutiles putare (*a*). Quid? Fruſtra igitur Spiritu Dei plenus David beatum virum illum, in ipſo Sacri poëmatis exordio praedicavit, *qui in lege Domini* (hoc eſt Scripturis) *meditabitur die ac nocte* (*b*). Fruſtra Apoſtolus Paulus Chriſtianos conſolabatur, ut in Scripturis Sanctis ſpem haberent (*c*). Quod ſane quum de iis ſanctiſſimis viris nefas ſit ſuſpicari, fateamur potius, Sacri Codicis lectionem Chriſtianorum omnium, quaſi quotidianum cibum eſſe debere, unde quiſquis alimentum ad praeſentem vitam ſuſtentandam petit, unde omnia adjumenta ad futuram felicitatem adipiſcendam proficiſcuntur. Id autem probe intelligens magnus ille Gregorius (*d*), non modo Eccleſiae miniſtros, & doctos homines, ſed rudes etiam puellas hortatur, ut Scripturarum lectioni ſedulo vacent; ut quoniam viris eſſent conſociatae, inde addiſcerent *qualiter vivere, & domum ſuam quomodo diſponere oporteret*. Alibi autem diſer-

(a) *Chryſ. loc. cit.*
(b) *Pſalm.* 1.
(c) *Rom.* 15.
(d) *Lib.* 11. *epiſt.* 78.

diſertis verbis pronunciavit, minime poſſe *ad familiaritatem Chriſti accedere, quiſquis Scripturae Sanctae deliciis abundare non contendit* (*a*). Divus quoque Hieronymus ad Laetam ſcribens, eamque de recta gnatae ſuae inſtitutione commonefaciens, Sacrarum Scripturarum conſuetudinem & uſum illi proponit, & quo ordine, quaque ratione ſinguli divini Codicis libri ſunt perlegendi, puellam erudit. En quomodo graviſſimi viri, iidemque ſanctiſſimi, atque in ſacris diſciplinis exercitatiſſimi, vel ipſas mulierculas ad ſacras Scripturas evolvendas vocant: ut ab hoc munere nullum hominum genus, nullum ordinem immunem arbitrentur; quod profecto iis documento eſſe poteſt, qui Chriſtianos a Scripturis abducendo, magnum neſcio quid facturos arbitrantur.

XVIII. *De incommodis ex neglectu Scripturarum manantibus.*

At hi, qui divinas litteras e noſtris manibus extorquent, haud intelligunt, plus certe incommodorum ex neglectu Scripturarum in Chriſti Eccleſiam invectum eſſe, quam ulla alia ex re. Nam quum ſit divina Scriptura fons quidam puriſſimus, unde non modo dogmatum, ſed ſingularum etiam rerum agendarum rationes, & regulae ad Chriſtianos omnes profluunt: profecto quo magis ab ipſa ſcaturigine recedimus, eo magis nativi ſenſus ſaporem amittimus, diverſaſque ebibimus morum regulas; atque adeo paulatim in ſuperſtitionem dilabimur; ea propemodum ratione, qua qui fontem ipſum praetereuntes rivulos conſectantur, continuo turbulentam ſe haurire aquam ſentient. At undenam, quaeſo

(a) *In Cant. Cantic. c. 7. n. 11.*

ſo, tanta illa opinionum vel in rebus graviſſimis diſſentio, opinandique infinita, atque intoleranda licentia, qua non pauci Theologi noſtra, plures patrum memoria miſere dilacerarunt Eccleſiam, quam ex hoc ipſo Scripturarum contemptu? Ii enim non ipſa veneranda Sacrorum Librorum auctoritate, ſed propriis commentis innixi, eas morum regulas invexere, quae puriſſimae Chriſti doctrinae robur enervarunt, ac deturparunt priſtinam illam diſciplinae ſanctitatem, quam vehementer in veteribus Chriſtianis admiramur. Atque hac profecto de cauſſa veteres Patres, minime ſatis rati Scripturarum divina oracula perpetuis commentariis, & voce, & ſcripto populo interpretari: eumdem inſuper pari eloquentiae vi ad ſacrorum Librorum lectionem exhortari nunquam deſtitere, ſimul & illorum criminis fœditatem palam facere, qui ſaluberrimum hoc, ac tutiſſimum divinarum litterarum praeſidium deſpicatui habentes, eas quaſi fruſtra, & temere ad nos miſſas, non minus impie, quam imperite ſibi crediderunt (*a*). Neque aliunde & haereticorum errores, & Chriſtianorum corruptos mores, atque ignavam vivendi rationem repetebant, quam ab ignoratione Scripturarum; ex qua mala omnia manare arbitrati ſunt (*b*); propterea quia, ſicuti luce deſtituti recta incedere nequeunt: ſic qui divino ſcripturarum ſplendore non fruuntur, turpiter errent, atque ab officio deflectant neceſſe eſt

(a) *Chryſ. in Matth. homil.* 1.
(b) *Id. proëmio in Epiſt. ad Rom.*

eſt (*a*). *In hanc inſipientiam cadunt* (ait Leo M. ad Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſcribens (*b*)) *qui ad cognoſcendam veritatem, quum aliquo impediuntur obſcuro, non ad propheticas voces, non ad apoſtolicas litteras, non ad evangelicas auctoritates, ſed ad ſe recurrunt; & ideo magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuere*. Unde apposite Hieronymus rem totam ita concludit (*c*): *Si juxta Apoſtolum Paulum, Chriſtus Dei virtus eſt, deique ſapientia, & qui neſcit Scripturas, neſcit Dei virtutem, ejuſque ſapientiam: ignoratio ſcripturarum, ignoratio Chriſti eſt*.

XIX. *De ratione legendi Scripturas.*

Quoniam igitur Scripturarum cognitionem tantopere, atque haud ſcio an ſatis pro rei dignitate, commendamus: ſicuti in omnibus diſciplinis, ita vel maxime in lectione Sacrarum Litterarum ratio quaedam, et via adhibenda eſt, ſine qua nemo certe quidquam proficiet. Quare juvat aureum hic D. Bernardi locum adſcribere, quo brevi verborum comprehenſione, quidquid ea de re praecipi poteſt, diligenter abſolvit. *Fortuita* (inquit (*d*)) *& varia lectio, & quaſi caſu reperta, non ædificat, ſed reddit animum inſtabilem; & leviter admiſſa, levius recedit a memoria. Sed certis ingeniis immorandum eſt, & aſſuefaciendus eſt animus. Quo enim ſpiritu ſcripturae factae ſunt, eo ſpiritu legi deſiderant, ipſo etiam intelligendae ſunt. Nunquam ingredieris in ſen-*

(a) *Id.ib.& conc.3.de Lazaro.*
(b) *Epiſt.*10.
(c) *Proem.in Iſai.*
(d) *Epiſt. ad fratres de monte Domini.*

ſenſum Pauli, donec uſu bonae intentionis in lectione ejus, & ſtudio aſſiduae meditationis, ſpiritum ejus imbiberis. Numquam intelliges David, donec ipſa experientia ipſius Pſalmorum indueris affectus. Principio igitur, qui divinorum librorum Codicem in manus ſumpſerit, ſecum ipſe cogitare ac reputare oportet, num vanae curioſitatis exercendae, an veritatis inquirendae gratia, ſacrum illud volumen verſandum ſuſceperit. Etenim ſi otiandi cauſa, & ad futiles perſcrutandas res ſcripturas divinas evolvet, is enimvero pro lumine tenebras, errores pro veritate inveniet. Deus enim obcaecabit mentem ejus, qui impuro corde rem adeo ſacroſanctam temere contrectare tentabit. Qui vero eo animo ad Scripturas accedet, ut ſcilicet veritatem in ipſo fonte, ac ſede ſua perquirat, ut Dei voluntatem, & mandata ſcrutetur, quo illa alacrius exequatur, degendaeque vitae rationem efficiat meliorem: is profecto magnas ſibi divitias ex ſcripturarum lectione comparabit. Proptereaque priuſquam mentem ad divinas litteras appellat, ab ipſo omnis intelligentiae, & ſcientiae Parente opem & auxilium expoſcet; ſine cujus numine nemo in hac mortali vita praeſtantius aliquid, aut immortalitate dignum ſibi ſpondere audeat. Nam ſi David, ut divinæ legis mirabilia recoleret, lumen oculis mentique ſuae a Deo petit (*a*), nec ignorantiae ſuae tenebras tantus Propheta confiteri recuſat: quid de nobis homunculis dicendum erit, qui undique denſiſſimis inſcitiae tene-

(a). *Pſalm.* 118.

tenebris circumfundimur (*a*)? Nimirum tunc Scripturam utilem eſſe, vere contendit Hieronymus (*b*), quum ſine Chriſto non diſcitur, quum ſine Patre non profertur, quum ſine Spiritu non meditatur; qui haud ſinit inanes eos diſcedere, qui fidei ſpiritu, & ſinceritate ad divina pernoſcenda oracula ſeſe dederint. Animo igitur a profanis curis ſevocato, expurgataque e corpore omni inanium rerum contagione, quum ſacrum Librum arripimus, intenta mente, collectis reductiſque cogitationibus, lectioni pie, ac ſedulo incumbamus oportet, ut a Divino ſpiritu Scripturarum intelligentiam impetremus, multumque inde emolumenti poſſimus percipere (*c*). Reputare quippe ſecum animo quiſque debet, ſe cum divino Numine, cum rerum omnium ſummo Creatore, ſummo mundi Imperatore ſermonem habere; qui quum cordium ſcrutator ſit, minime patietur impune eos abire, qui oſcitanter, aut aliud agendo, perinde ac cum alterius generis ſcriptis agere ſolent, Scripturas percurrunt. Ex Scripturarum autem lectione, ſi aliquem fructum, & utilitatem capere velimus, nihil, licet minimum, nihil ut ſupervacaneum praetercurramus. Propterea quippe Deus nos divinos Libros ſcrutari jubet, quia multa, quae inutilia fortaſſe videntur, magnam profecto ſolent habere latentem ſententiæ profunditatem (*d*). Singuli autem ſacri codicis

(a) *Hieron. epiſt.* 13. *ad Paulin.*
(b) *Comment. in epiſt. ad Galat.*
(c) *Chryſ. in geneſ. homil.* 35.
(d) *Chryſ. in Joan. homil.* 67.

cis libri integri perlegendi ſunt, nec alios veluti dilucidiores ſeligamus, alios ut obſcuros, minuſque neceſſarios omittamus. Id enim, Chryſoſtomi (*a*) judicio, valde noxium nobis erit; propterea quod ex ſingulis prorſus bene conſtituendae vitae inſtituta abunde eruuntur; ſinguloſque noſtri compendii commodique gratia eos nobis divinus idemque ſapientiſſimus Magiſter dictavit. Quumque pluviam temporaneam, & ſerotinam nobis miſſurum pronunciaſſet Deus in Deuteronomio (*b*), ea figurata dicendi ratione novi certe, ac veteris Teſtamenti promiſſionem contineri argumentatur Hieronymus (*c*), ut utroque nos imbre ſalubriter irrigaret; ac propterea nos admoneri ait, ut ſic legamus legem veterem, ne Evangelium omittamus: ſed utrumque Teſtamentum pari ſtudio perſcrutandum, quum ambo naturali quadam cognatione, miraque diſciplinae conſentione inter ſe colligantur; ut quod jam pridem Deus in Prophetis denunciavit futurum, in Evangelio ſubinde perfecte fuiſſe adimpletum animo percipiamus. Neque vero, dum integram divinam Scripturam legendam contendimus, ita feſtinanter totam decurrendam eſſe dicimus, ut ex capite in caput inconſiderate convolemus; ſed noſtra eo pertinet ſententia, ut ſingula pene verba, quum nihil certe habeant ſupervacaneum, adhibita conſiderantia perpendenda eſſe affirmemus (*d*). Itaque

(a) *In illud ſalutate Priſcillam, & Aquilam.*
(b) *Cap. II.*
(c) *In Eccleſiaſten. c. II.*
(d) *Chryſ. in geneſ. homil.* 21.

que aſſidua quidem, ac frequenti lectione Scripturis vacandum, ſed paulatim tamen, ac pedetentim pauca ex divinis oraculis meditanda deſumantur. Atque id non invenuſta ſane a rebus naturalibus petita comparatione, magnus Chryſoſtomus (*a*) appoſite demonſtrat. Imber ſcilicet ſi vehementius irrumpat, ſuperficiem quidem terrae inundat: in ejus tamen viſcera nec penetrabit, nec proinde frugibus ſalubrem humorem communicabit. Contra vero ſi ſenſim in terram de caelo delabatur, per ejus venas, ac meatus facile in profundum ſeſe inſinuabit, reddetque uberem foecunditatem. Ita profecto, ſi ſenſim oracula divinae Scripturae imbibamus, atque adhibita meditatione nobiſcum volutemus, ac recolamus, facilius in cordis noſtri penetralia permeabit, atque alte inibi radices aget. Atque idcirco illius pabulo innutriti, ac ſaginati, mirum in modum ad praeſcriptum divinae legis vitam traducemus; repellemuſque plurimas illas impreſſiones, quibus miſera haec mortalitas indeſinenter impetitur.

XX. *De cauſis obſcuritatis Scripturarum.*

Sed dum Chriſtianos ad Scripturarum lectionem rite peragendam exhortamur, illud cum primis eſt animadvertendum, plura in iis inveniri obſcura, & implicata, quae hominum captui negotium faceſſunt. Cujus incommodi origo & cauſa aperienda nobis hic eſt, ne Chriſtiani rei difficultate permoti, minus alacres dent operam rei tam neceſſariae. Principio illud tamquam firmiſſimum fundamentum ſtatuendum eſt, in iis omnibus, quae ad prima fidei, reli-

(a) *De utilit. lect. ſcript. in princ. Act. 3.*

religioniſque capita pertinent, nullam quidem inveniri obſcuritatem. Omnia ſunt perſpicua, & dilucida, ſimplicique deſcripta oratione, quae ad vitam pie ſanćteque inſtituendam inſerviunt (*a*). In his enim omnibus Scripturarum cognitionem populis omnibus ſe largiri profeſſus eſt Deus, ut omnes item viam virtutis intelligerent (*b*). His autem demptis, plura in ſacris Libris occurrunt obſcura: plura quae denſiſſimis tenebris obducuntur. Huic autem difficultati & incommodo conſulto nos Deus damnavit: ne temporum longinquitate exitialis illius primi parentis reati memoria obliteraretur. Ex illo enim vitio ignorantia cum primis manavit, quam propterea poenam eſſe peccati, veriſſime contra Pelagianos defendit Divus Auguſtinus (*c*). Semel autem hac ignorantia in hominum mentes invećta, quid mirum ſi, dum ea miſere in hac vita premimur, ſaepe in perquirenda veritate caligine erroris impedimur? Ex quo tamen colligitur, obſcuritatem non in divinis oraculis, & rebus ipſis ineſſe: ſed ex noſtra cujuſque infirmitate ortum habere; ut ſermo ſuapte natura facilis, legentium imperitia difficilis evadat. Siquidem Paulus quum dixiſſet, Chriſtum fuiſſe Pontificem deſignatum ſecundum ordinem Melchiſedech (*d*), id eſſe mortalibus perquam difficile explicatu affirmavit. Quod certe de ſe ipſo, qui caeleſti intelligentia, ac Spiri-

(a) *Chryſ. de Lazaro Conc.* 3. *n.* 3.
(b) *Hieron. in Pſalm.* 86.
(c) *Enchir. c.* 10. & *Retract. lib.* 1. *c.* 9.
(d) *Hebr.* 7.

Spiritu Dei plenus erat, dicere non poterat; ac proinde ipſis Hebraeis, ad quos ſcribebat, adjecit, id profecto propter ipſorum imbecillitatem evenire, ut ad perſcrutandam illius ſententiae veritatem caligarent (*a*). Non adeo tamen iis difficultatum tenebris addixit nos Deus, ut aliquando in earum plurimis veritatem aſſequi facultas non ſit. Nonnulla enim Deus ſuae tantum divinae cognitioni reſervavit, ad quam mortalium cuiquam nefas eſt aſpirare. Ceteris autem rebus omnibus difficultatem quidem indidit, ut homines, excuſſa ſocordia, ac deſidia, ad earum ſcientiam comparandam, ſolertiam & induſtriam adhiberent. Etenim quum de divinis rebus, ac caeleſtibus, ſummam praeſeferentibus dignitatem, ageretur, viſum eſt divinae Majeſtati earum cognitionem auferre imperitis, concedere doctis, & induſtriis: ut quae altioris eſſent contemplationis, humana facultas vires experiretur ſuas. Verum ne mortalium conditio intumeſceret, atque aſſumeret id, ad quod ipſa per ſeſe pertingere nullo pacto poteſt, earum rerum cognitionem, quae humanae naturae vim ſuperant, voluit Deus nonniſi gratiae & numinis ſui ope comparari poſſe; ut, quibus ſui auxilii largitionem denegaverit, eiſdem & earum intelligentiam auferret (*b*). Praeterea nonnullos nos Sacri Codicis obſcuros & tenebricoſos locos offendere diſpoſuit Deus, ut in veritatis inquiſitione veteres Patres, majoreſque noſtros, ſedulo conſulere.

(a) *Chryſ. homil. de Melchiſ.*
(b) *Hieron. comment. in Daniel. c.* 11.

fulere aſſueſcamus (*a*). Hos enim, utpote qui ad ipſum veritatis fontem propius acceſſere, in omnibus rebus dubiis duces, & magiſtros agnoſcere debemus. Regius quidem Eunuchus Scripturas lectitando, rei difficultate permovebatur: nunquam tamen de manibus ſuis divinum librum depoſuit; ſed eouſque legere perſeveravit, donec tandem ad ſe miſſum intellexit Philippum, qui omnem Scripturarum ſenſum ipſi aperiret (*b*). Ceterum hujuſce a nobis navatae operae minime nos poenitere ſentiemus, ſi animadvertamus, ea ratione comparatam ſacrarum litterarum intelligentiam, diuturniorem certe nobiſcum remanere. Fere enim uſuvenire experimento docemur, ut, quarum rerum cognitionem majori ſtudio, & labore nobis comparamus, earumdem ſcientia firmius menti noſtrae inhaereſcat (*c*).

XXI. *De variis Scripturarum ſenſibus.* Fruſtra autem rectam & expeditam Scripturarum intelligentiam nobis pollicebimur, niſi multiplices illarum ſenſus probe noverimus, quibus pro varia ſententia, varias etiam ſignificationes tribuamus oportet. Porro quum Deus, ut mortalium commodo conſuleret, Scripturas exarari voluerit, eam ſcribendi rationem adhibere ſatius duxit, quae in hominum conſuetudine inveniretur; ita ut nullo locutionis genere utatur Scriptura, quod pro cujuſque gentis ratione ac differentia uſurpatum non ſit (*d*). Igitur ſub una dictione

(a) *Id. loc. cit.*
(b) *Chryſ. de Lazaro Conc. 3. n. 3.*
(c) *Chryſ. in geneſ. homil. 32.*
(d) *Auguſt. de Trinit. c. 12.*

ctione plures Scripturarum continentur ſententiae, uti ex multis illis Scripturae locis palam fit. Hanc ergo diverſorum ſenſuum deſcriptionem ex ipſo ſacrarum litterarum fonte deſumimus. Legimus enim in Proverbiorum *Cap.22.Ecce deſcripſi eam* (doctrinam) *tibi tripliciter, in cogitationibus, & ſcientia: ut oſtenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis.* Ex quibus verbis triplicem quoque in Scripturis agnoſcere nos debere ſententiam, recte colligit Divus Hieronymus (*a*), Litteralem nempe, Tropologicam, ſive figuratam, & Myſticam. Atque ut ſingulos hos ſenſus ordine, & rite perſequamur, litteralis ille dicitur, qui rem naturali propriaque, quam ipſa verborum vis deſignat, intelligentia exprimit. Hujuſmodi fere ſunt illa (*b*): *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi.* Et (*c*): *Neque fornicemur, ſicuti quidam illorum fornicati ſunt, & ceciderunt uno die viginti tria millia.* Et (*d*): *Neque murmuretis, quemadmodum quidam illorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.* Quae quidem loca, atque his ſimilia, ſecundum litteram, atque ut dicta ſunt, item ſunt accipienda; quippe, ſiquidem recte monuit Divus Auguſtinus, praeceptiva locutio nudis verbis aut flagitium, & malum vetans, aut utilitatem, & beneficentiam jubens, figurata nullo pacto dicenda eſt. Ex Litterali ſenſu pendet & Hiſtoricus, qui res, ſicuti geſtae ſunt, nobis enarrat, in quo, ut verbis utar Divi

(a) *In Ezech. c. 16.*
(b) *Rom.12.*
(c) *Corinth.10.*
(d) *Ibid.*

Digitized by Google

Hieronymi (*a*), *eorum*, *quae ſcripta ſunt*, *ordo ſervatur;* ac proinde ab eodem Hieronymo idem ac litteralis haberi videtur. Alter Scripturarum ſenſus Tropologicus, ſive figuratus, eſt, quando recedimus a littera, & nativa ſignificatione, & paululum ad altiora conſcendimus, ut eo dicendi genere non quod verba ipſa, ſed aliquid aliud ad morum informationem intelligamus. Sic quum attuliſſet Apoſtolus (*b*) illud Moyſis, *Non alligabis os trituranti*, illud idem continuo ad Chriſtianorum inſtitutionem fuiſſe prolatum affirmat, addens: *Num quid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hoc dicit?* Quae docendi ratio quam apte rem conficiat, inſtruatque appoſite mores hominum, nemo non videt. Nam ſicuti inhumanum pene videtur, bovi, triticum in area terenti, os ſubligare, ne frumenti manipulos carptim veſcatur: ita profecto haud quidem gravari debemus, ſi Eccleſiae Sacerdotes ex ſuo cujuſque ſacro miniſterio, quod ad victum cultumque ſatis eſt, percipiant; ut ad hanc ſententiam prorſus ab Hieronymo (*c*) dictum agnoſcamus, totum ſcilicet hoc interpretationis genus ad animae noſtrae emolumenta converti debere. Pertinet item ad hujuſmodi figuratam ſententiam alter ille Scripturae locus, ubi, poſtquam vel erga eſurientem inimicum nos beneficos exhiberi Deus praecipiat, quemadmodum ſupra demonſtravimus, ſtatim adnectit: *Hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper*

(a) *Epiſt.* 150. *ad Hedibiam quaeſt.* 10.
(b) 1. *ad Cor.* 9.
(c) *loc. cit.*

per caput ejus (*a*). Quo loco tropum, ſive verbi immutationem licet animadvertere. Nam quum duplici ratione poſſit id interpretari, vel ut noceamus, vel ut proſimus: ad beneficentiam nos potius humanitas invitabit, ut intelligamus carbones ignis eſſe quaſdam urentes poenitentiae faces, quibus ſuperbia ſanatur ejus, qui dolet ſe inimicum fuiſſe hominis, a quo ejus miſeria ſublevatur; ut egregie eſt a Divo Auguſtino (*b*) obſervatum. Per tertium denique & poſtremum, hoc eſt Myſticum Scripturarum ſenſum, de Divi Hieronymi (*c*) ſententia, ad ſublimiora tranſimus, terrena dimittimus: de futurorum beatitudine, & caeleſtibus diſputamus; ut praeſentis vitae commentationem umbram eſſe futurae felicitatis nobis perſuadeamus. Hujuſmodi myſticae ſententiae ope, ad Chriſtianorum inſtitutionem traducimus quidquid de Iſraëlitici populi per deſertum itinere, deque illa, quam petebant, promiſſionis terra traditum eſt. Fere enim in univerſa illa hiſtoria imaginem & figuram agnoſcimus hujuſce noſtrae mortalis vitae, ut per multiplices difficultates, ac res adverſas, tandem ad illam longe feliciſſimam promiſſionis regionem, ubi pace ſempiterna beatis frui licet, votis omnibus adſpiremus. Per Abrahae item ſacrificium, & filii oblationem Sanctiſſimi Servatoris noſtri Crucem intelligentia comprehendimus. Igitur illud ejuſmodi miſticae ſententiae proprium eſt, ut praeter ſenſibilia, &

(a) *Rom.* 12.
(b) *De doctr. chriſt. lib.* 3. *c.* 16.
(c) *loc. cit.*

patentia,quae deſignat, interius etiam, & ſublimius quid aliud intelligamus (*a*). Ceterúm ſpiritualis, ſive myſticae ſignificationis exempla frequentiora in veteri Teſtamento occurrunt: in novo non item. Singula enim quae in antiquo Codice continentur, vel de ipſo Chriſto dicta ſunt, vel propter ipſum (*b*). Quamobrem merito animadvertit Apoſtolus (*c*), priſtinam illam Hebraeorum legem umbram tantum habuiſſe futurorum bonorum, non autem ipſam imaginem; quoniam quae in figura illis evenere, cuncta ad noſtrum omnium emendationem, & commodum ſcripto ſunt relata (*d*). Verum dum dicimus multas hujuſmodi myſticas ſententias offendi in priori Teſtamento, non perinde accipiendum eſt, ac ſi omnia ad occultiora oracula, nihil ad hiſtoriae apertam ſignificationem referendum ſit. Qua de re veriſſime eorum falſam opinionem refellit Auguſtinus (*e*), qui ſicuti nullas res geſtas in veteri Teſtamento aliquid aliud praeter id, quod ea ratione geſta ſunt, ſignificare arbitrantur: ita nimium audent, qui prorſus omnia ſignificationibus ibi allegoricis involutas eſſe contendunt. In quo errore maxime verſatus eſt Origenes; quo nomine graviſſimas tulit Patrum reprehenſiones. Haec de tribus Scripturarum ſenſuum generibus dixiſſe ſufficiat; quos ſi in lectione divinae Scripturae rite adhibuerimus, ſatis

(a) *Chryſ. in pſalm.* 46.
(b) *Auguſt. lib.* 12. *cont. Fauſt. c.* 7.
(c) *Hebr. c.* 11.
(d) 1. *ad Cor.* 10.
(e) *De Civit.Dei l.*7.*c.*3.

ſatis eſſe arbitror, qui plures illas difficultates, quae vel doctioribus ſolent negotium faceſſere, de medio tollant, tradantque legentibus non mediocrem intelligentiam. Animadvertendum autem eſt, ex tribus illis ſententiis, ſolum litteralem ad ſolidam certamque faciendam fidem, tum ad dogmatum, tum etiam ad morum regulas probe ſtabiliendas valere. Ex tropologico enim, & myſtico tunc firmum argumentum peti poteſt, quum alterius Scripturae loci auctoritas, aut Patrum, & Conciliorum certa traditio de ejus ſententiae veritate certos nos efficiant. Alias enim, ut ait Divus Hieronymus (a), *nunquam parabolae, & dubia aenigmatum intelligentia poteſt ad auctoritatem dogmatum proficere*. Solet & alius Scripturae tribui a Theologis ſenſus, quem *accommodatitium* vocant, nempe quum aliquis ſacrarum Litterarum locus extra ſuam vel propriam, vel figuratam ſignificationem, ad aliquid aliud probandum ex ſuo cujuſque arbitratu deſumatur. Ex quo quum nullum ad faciendam fidem certum peti poſſit argumentum, non eſt cur diutius in eo immoremur.

XXII. *De ratione interpretandi Scripturas.*

Propoſitis igitur tribus illis ſententiarum generibus, via quaerenda eſt, & ratio, qua rite & recte ſacras Scripturas interpretari poſſimus. Praeclare quippe ab Hieronymo (b) ſcriptum accepimus, Evangelium quidem, non in ſolis orationis verbis eſſe, ſed in ſenſu; non in ſuperficie, ſed in medulla; non in ſermonum fo-

 liis,

(a) *In cap.* 13. *Matth.*
(b) *Comment. in Epiſt. ad Galat.*

liis, ſed in radice rationis. Omnino autem veriſſimam eſſe Hilarii (*a*) ſententiam fateamur oportet, qui Scripturarum rectam intelligentiam ſingulare eſſe Dei donum & beneficium docet: ut ſine ejus peculiari numine & gratia ſacram doctrinam animo perceptam habere, haud quaquam homo ſibi ſpoponderit. Diſcimus hoc ex Chriſti Domini exemplo, qui apud Lucam (*b*) prius diſcipulis ſenſum aperuit, quam ipſi intelligerent Scripturas. Etenim tota Scripturarum ratio ſpiritualis eſt, & caeleſtis, ad quam carnali, terrenaque facultate pertingi nullo modo poteſt. Plurimum autem prodeſt ad rite intelligendas Scripturas linguarum, hebraicae, & graecae praeſertim cognitio. Univerſe quippe uſuvenire cernimus, ut unaquaeque lingua ſuas habeat dictiones, & propria dicendi genera, nempe phraſes, idiomata, & proverbia; quae ſi alio ſuſceperis declarare ſermone, quamcunque adhibueris circumlocutionem, nunquam innata ſententiae proprietas, nunquam nativus dictionis ſenſus exprimi poterit. Quin etiam quum ambiguorum nominum, & verborum magna apud Hebraeos ſit copia, quae diverſae interpretationi ſaepe materiam praebent (*c*), aequivoca certe illa, & ambigua, quae plerunque intetpretum ſolent torquere ingenia, ſine illarum linguarum peritia devitari certe non poſſunt. Plurima praeterea illa vocabula, ſive graeca, ſive hebraea, quae in latinis translationibus

(*a*) *In Pſal.* 115.
(b) *Cap.ult.*
(c) *Hieron. lib.* 1. *Apolog. adv. Ruſin.*

nibus conſulto ſunt poſita, quibuſque multa Scripturae ſacrae myſteria aperiuntur, ſine hujuſmodi linguarum ſcientia haud facile intelliguntur. Verborum autem ſacrorum ſignificationis ignoratio, quis neſciat quantum ſacrarum rerum cognitioni officiat? Non adeo tamen harum linguarum peritia neceſſaria putanda eſt, ut ſine ea ratio ſacrae doctrinae conſtare non poſſit. Quaecumque enim ad puriſſimum, ac pleniſſimum religionis, & pietatis cultum, tum quae ad recte ſanctequе erudiendos mores pertinent, abunde ex vulgata latina interpretatione deducuntur. Quare ad hanc potius orationem noſtram convertamus oportet. In primis igitur in unaquaque ſententia finis inſpiciendus eſt, & ſcopus Scripturarum: atque is ſenſus eruendus eſt, qui huic ſcopo & fini maxime conveniens, & conſentaneus ſit. Univerſe autem omnes divinae litterae id propoſitum habent, ut purum erga Deum cultum, amoremque, & caritatem inter homines ſtabilirent; ac ſingula, quae docent, ad illa duo capita, tanquam ad ſignum dirigunt. Quae quum manifeſtiſſima ſint, & cuique intuenti patentia, ex his, quae aperte dicta ſunt, mens noſtra in pertractandis Scripturis regatur neceſſe eſt (*a*). Atque huc referri merito poteſt illud Sancti Pauli (*b*), quum ait: *Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quae ſecundum pietatem eſt, doctrinae, ſuperbus eſt, & nihil ſciens,*
Merito

(a) *Auguſt. ſerm. 363. de Cantico Exodi.*
(b) *Timoth. 6.*

Merito igitur ab Hieronymo (*a*) admonemur, minime fas eſſe noſtro ſenſui attemperare Scripturas, ſed Scripturis adjungere ſenſum noſtrum debere, ut quid ſequatur recte intelligeremus. Igitur quotieſcumque ſine detrimento aliquo ipſa Scripturae verba, prout illa naturaliter ſonant, accipi poſſunt: nihil metaphora, & figurata ſententia opus; proprie, & ſecundum ſimplicem litteram ſunt interpetranda. Ubi vero ex illa naturali ſignificatione incommodus aliquis, & abſurdus ſenſus eliceretur: tunc profecto ad tropos recurrendum; ex quibus ea ſententia eruenda eſt, quae menti, & ſcopo Scripturarum magis ſit conſentanea. In quo quum late pateat allegorice dicendi genus, quo valde delectari videntur divinorum Oraculorum Scriptores, in eo recte pertractando diligens cura adhibenda eſt. Itaque Scripturarum allegoriae non pro lubito noſtro exponendae ſunt, ſed ubique ipſam Scripturae mentem ſequi oportere, veriſſime monet Chryſoſtomus (*b*). Quo magis divini Legislatoris agnoſcere, ac venerari debemus providentiam, an bonitatem? an utramque? qui nunquam his allegoriis uſus eſt, quin ipſarum allegoriarum interpretationem ſimul afferret; quam rationem univerſe, & conſtanter in Scripturis ſervatam cernimus. Veluti quum pronunciaſſet Scriptura (*c*), *Cerva cariſſima, & gratiſſimus hinnulus; ubera ejus inebrient te in omni tempore*: ſtatim interpretationem addidit, cur haec dixiſ-

(a) *In Matth.c.*10.
(b) *In Iſaiam c.*5.
(c) *Proverb.*15.

dixiſſet; nempe ut vir uxori legitimae, ac liberae adhaereat: avertat autem ſe a meretrice, & alienigena. Item alio loco (a), *Intrate*, inquit, *per anguſtam portam*. Hoc quemadmodum dictum accipi voluerit, ex iis, quae continuo ſequuntur, facile intelligitur; nimirum iis, quibus pietatem, & juſtitiam complecti deliberatum eſt, multum laborem, plures aerumnas eſſe propoſitas, denuncians Deus, uſus eſt apta figurata dictione, anguſtae nempe illius portae, per quam nonniſi poſt *multas tribulationes* oporteat *nos intrare in Regnum Caelorum* (b). Omnino autem quam maxime refert, praeſertim ubi ſubobſcurus aliquis ſenſus occurrit, conferre antecedentia cum iis, quae ſequuntur; ut ex verborum, ſententiarumque collatione, germanus ſenſus eruatur. Sicuti enim minime ſufficit, aliquid in divinis libris ſic ſcriptum eſſe affirmare: ita non dici poteſt, quantum incommodorum importet is, qui temere ſacrae Scripturae membra nuda, & ab argumenti affinitate, ſerieque ſermonis audet divellere; ac nimia licentia pro ſui arbitratu ſtruere ſententias. Non aliunde enim nefarii homines ſua prava dogmata, quam ex hac perverſa interpretandi ratione arripuere, totamque labefactare aggreſſi ſunt ſimpliciſſimam Chriſtianam diſciplinam: dum ſimplicioribus perſuadere conati ſunt, ut oblique diſtorta teſtimonia ex Scripturis fidenter proferrent; itaque additis ſubtractiſve nonnullis, tenebras clariſſimae veritati offundere tentarunt.
Igitur

(a) *Matth.*1.7.
(b) *Actor.*14.

Igitur alieno periculo cauti, ſana & integra accipiamus loca, cognationemque, qua inter ſe continentur, perpendamus neceſſe eſt. Jam ſi quis, nullo habito hominum diſcrimine, temere ita effutierit: Si ex Apoſtolo Paulo (a) *melius eſt nubere quam uri*: igitur nemini non licebit appetere conjugia, ubi quis venereis ſtimulis ſe agitari ſentiet, tametſi virginitatem ſervare ultro ſtatuerit. Perverſa quidem, & longe a contextu ſermonis abſona erit iſthaec ſententia. Apoſtolus enim, ut luculenter ex iis, quae paulo ante poſuerat, colligitur, *non nuptis, & viduis*, iis ſcilicet, quibus integrum eſt, ad nuptias tranſeundi poteſtatem facit: non autem iis, qui ſolemni ſacramento ſe ſuaque membra Deo rite devoverunt; quibus nimirum ſine magno piaculo haudquaquam fas erit conjugium appetere (b). Sed nihil Scripturis familiarius, quam eam adhibere dicendi rationem, quae ab hominum conſuetudine non ſit aliena; quippe quum Deus mandata ad ſalutem ſit daturus mortalibus, prout noſtrae mortali naturae infirmitatique congruant, res enarrare ſolemne habeat (c); atque ita dum de rebus aeternis, ac ſupra hominum captum, humanum in modum loquitur, aſſuetos nos temporalibus ſenſim ad aeterna trajiciat (d). Hinc animadvertamus oportet, ubi rebus divinis aliquid ex hominum uſu tri-

(a) 1. *Corinth.* 7.

(b) *Chryſ. homil. in illud Jerem.* Domine non eſt in homine.

(c) *Chryſ. in Geneſ. homil.* 18.

(d) *Gregor. M. lib. 2. in cap. 1. Job. cap.* 20.

tribuitur, ut exempli gratia, quum Deo humana membra ſaepe affinguntur, id nonniſi prout noſtrae imbecillitati accommodari liceat, accipiendum eſt. Eodemque referenda ſunt illa dicendi genera, quum quid per ſingularem numerum, quod plurium eſt numero, & viciſſim, ſignificari ſoleat. Veluti in Evangelio Matthaei cap. 2. *Mortui ſunt*, ſcriptum eſt, *qui quaerebant animam pueri;* quamvis unus fuerit Herodes, qui Puerum Jeſum ad necem quaeſierat. Item: *Ora ergo Dominum, ut auferat a vobis ſerpentem* (a). Serpentum autem multitudinem immanem fuiſſe, ex aliis Scripturae locis addiſcimus, a quibus populus Hebraeorum dira mala pertulit. Ejuſmodi inquam, dicendi genera, quae frequenter in ſacris Litteris occurrunt, a famliari, & quotidiana pene hominum loquendi ratione profecto non abhorrent, ut pluribus exemplis, ſi res poſtularet, poſſet demonſtrari (b). Haec ſcilicet omnia diligenter ac ſedulo in pervolutandis divinis Scripturis ſunt obſervanda, quo, juvante Deo, in re tanti momenti, unde beatae vitae nobis procedit aeternitas, errorem declinemus, ſimul & ad rectam, & germanam caeleſtium oraculorum intelligentiam perveniamus.

XXIII. *De Eccleſiae auctoritate in interpretandis Scripturis.*

Quoniam vero denſiſſimis tenebris obvoluta mortalium mens, multarumque implicata opinionum diſſentione, veritatem vel prae oculis poſitam plerumque ignorat, nec quid ſequatur intelligit: propterea a Tridentina Synodo ſolemnem ſanctionem optimo jure prolatam agnoſcimus,

(a) *Num.* 21.
(b) *Auguſt. Enchyr. c.* 16.

ſcimus, qua edictum eſt, ne quis unquam in fidei, morumque diſciplina, Scripturam contra eum ſenſum, quem tenuit, ac tenet Eccleſia, aut etiam contra unanimem conſenſionem Patrum auderet interpretari (*a*). Nimirum catholica Eccleſia ea eſt, quam, quoniam doctrinae Chriſtianae firmitatem, Chriſti Domini beneficio, poſſideat (*b*), Sacrarum quoque Scripturarum rectam veramque expoſitionem tradere, quis jure negabit? Duxit igitur benignitate ſua dignum beneficentiſſimus Deus, habere nos ſanctiſſimam Eccleſiam, quae una, ut omnis veritatis magiſtra, quid certo ac firmiter ſequamur, mortales docere, una ſalutis viam poſſet monſtrare (*c*). Sicuti enim omnem habere facultatem Eccleſiam, ut ſuperius eſt a nobis demonſtratum, divinos libros ab apocryphis ſecernendi, divinumque Canonem conſtituendi: ita profecto, eadem prorſus ratione fateamur oportet, illam habere parem poteſtatem interpretandi Scripturas, earumque veram ac germanam Chriſtianos docendi ſententiam. Sit autem iſta in Haereticorum levitate perverſitas, qui ut ad ſe ipſi eamdem illam auctoritatem trahant, Eccleſiae judicium ſpernunt; quos tamen domeſtica illa peſſima exempla monitos jam, & cautos reddere debuerant. Illos enim non uno eodemque ſenſu Sacram Scripturam accepiſſe, ſed contrariis prorſus inter ſe ſententiis fuiſſe interpretatos, compertum eſt

(a) *Conc. Trid. ſeſſ.* 5.
(b) *Tertull. de proſcript. c.* 19.
(c) *Vinc. Lirin. c.* 2.

eſt. Aliter enim Priſcilianum olim, aliter Apollinarem Scripturas expoſuiſſe cernimus; aliter Sabellium, Arium, Neſtorium, Macedonium; aliter Pelagium, Caeleſtium; aliter ſuperiori memoria Zuinglium, Lutherum, Calvinum. Nihil autem tam veritati contrarium, quam opinionum repugnantia. Quid vero tam recte rationi conſentaneum, quam Legislatorem, conditis legibus, magiſtratus conſtituere, qui non modo legum vim, & majeſtatem tuerentur, ſed earum etiam ſenſum, & rationem pro re nata civitati aperirent, nec eas ſinerent populo pro cujuſque libidine interpretari? Ita profecto, quantum divina humanis conferre fas eſt, ſummus Legislator Deus Eccleſiae tribunal provide conſtituit, cujus partes eſſent de recta Scripturarum intelligentia Chriſtianis conſulere, ac praebere veram divinae voluntatis rationem. Neque ſane cuiquam novum illud videri debet, ſed idipſum in veteri lege conſtanter admodum obſervatum fuiſſe legimus, ut in obſcuris, & ambiguis rebus non ad privatos quoſcunque, ſed ad Sacerdotes Levitici generis venirent; a quibus divinorum oraculorum ſententiam exquirebant (a). Hinc Rex Joſaphat Sacerdotibus Synagogae edicit (b): *Ubicumque quaeſtio eſt de lege, de mandato, de caeremoniis, de juſtificationibus, oſtendite eis, ut non peccent in Dominum.* Verum quum Eccleſiam dicimus ejuſmodi pollere facultate, non id perinde intelligi volumus, ac ſi ſinguli de Eccleſia qui-

que

(a) *Deuteron.* 17.
(b) *Paralip.* 19.

que de ſenſu Scripturarum ferre judicium poſſint; ſed de ſupremis Eccleſiae doctoribus, ac paſtoribus, nempe Epiſcopis accipiendum eſt. Hi enim divina illa fruuntur praerogativa, ut Apoſtolorum ſucceſſores habeantur, & ſint; eoſque *Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei (a)*. Quos inter quum Romanus Pontifex, ut Divi Petri Apoſtolorum principis heres, divinaeque ab Apoſtolis tranſmiſſae ſapientiae perpetuus cuſtos, jure emineat, majoremque habeat a Chriſto traditam poteſtatem in procuratione Chriſtianae Reipublicae, ut Eccleſiae caput, & ſummus doctor exiſtimari debeat; propterea in interpretatione Scripturarum potiorem locum habere ſine dubitatione tenendum eſt; quemadmodum & quouſque Iſraëliticae Eccleſiae caput fuit, & rector Moyſes, ad eum potiſſimum de omnibus ſacratae legis quaeſtionibus referri ſolemne fuit (*b*).

XXIV. *De firmitate Scripturarum in conſtituendis certis morum regulis.*

Sed, quod caput eſt, & ſumma Sacrae Scripturae, inquirendum ac perveſtigandum ſane diligenter eſt, ecquid habeat illa firmitatis ad faciendam certam fidem in iis, quae ad morum rectam informationem pertinent. Id enim ſuſceptae totius hujus diſputationis fructus praecipuus, idemque uberrimus ſit neceſſe eſt, ſi idoneis argumentis evicerimus, ſingulas noſtras actiones & officia ad divinae Scripturae regulam eſſe dirigenda: nec quidquam a nobis aut opere ſuſcipi, aut verſari cogitatione fas eſſe, quod regulae illi unquam adverſetur. Ac veriſſimas quidem

(a) *Actor.* 20.
(b) *Exod.* 18.

Digitized by Google

quidem eſſe illas Divi Pauli (*a*) voces, quis unquam inficias iverit? Inquit enim: *Quaecunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus*. Igitur ſi ad noſtrum omnium inſtitutionem, ſi ſalutis noſtrae cauſa ſacrarum litterarum Evangelium miſſum eſſe exploratum eſt (*b*), profecto in firmandis morum regulis maximam vim eas habere neceſſe eſt. Siquidem profectae illae ſunt a Deo, qui quum ſit ſapientiſſimus, quum ſit cuncta ſciens: honeſti, ac turpis, juſti, atque injuſti, omninoque boni, & mali naturam & formam eumdem tradere oportuit: ut quid ſequamur, quidve fugiamus, certa nobis, & expedita eſſet ratio. Ita fit, ut aut ex Sacris Scripturis firmiſſima Chriſtianos morum documenta capere poſſe exploratum ſit: aut, quocunque nos animo & cogitatione vertamus, nullus alius locus eſt, unde adaeque ſolidiores pie ſancteque tranſigendae vitae regulas & rationes deducere poterimus. Itaque inſignem ii Deo faciunt injuriam, qui temere effutiunt, non omnia in Scripturis contineri, quae ad ſingula cujuſque vitae officia dirigenda ſufficiant. Repugnat enim tanti Legislatoris Sapientiae & intelligentiae, non ea in ſuis divinis voluminibus legis ſuae fundamenta, & principia poſuiſſe, unde ad omnes humanos eventus, & varios caſus conſecutiones rite non deducerentur. Quare audiendus

F eſt

(a) *Rom.* 15.
(b) *Chryſ. Orat.* 1. *de creat. mund.*

eſt Hieronymus (a), dum ſcribit per ſolas Scripturas poſſe intelligi plenam Dei voluntatem; in iis quippe prohibentur quaedam, quaedam praecipiuntur; conceduntur aliqua, nonnulla ſuadentur. Prohibentur enim noxia & mala, praecipiuntur honeſta & bona; media conceduntur, perfecta ſuadentur. Et quum natura ipſa ad juſtitiam genuiſſe nos, & informaſſe videatur, ejuſdem Hieronymi teſtimonio univerſè, *in illis omnibus mandatur juſtitia, quam Salvator in Evangelio breviter quidem, ſed pleniſſime comprehendens, ait: Quaecumque vultis ut faciant vobis homines, hoc & vos facite illis* (b), *hoc eſt, ut nihil mali inferamus aliis, ſed praeſtemus omne, quod bonum eſt: quia volumus hoc ab aliis in nos utrunque ſervari.* Quae quidem praeceptio quis non videt, quam late pateat? quam uberes ex ea, atque ſaluberrimae regulae deducantur, ad quas omnia officia, omnes actiones, ac ſingulae ſanctiſſime degendae vitae rationes componantur? Idcirco jure optimo a Sancto Paulo (c) traditum agnoſcimus, quum ait: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Perfectum quidem hominem, ope Scripturarum: atque ad omne opus bonum, non ad aliqua tantum, inſtructum eſſe poſſe, affirmat Apoſtolus. Nam illud quidem valde abſurdum putandum eſt, quod inquiunt, has morum regulas, quae ex

(a) *Epiſt.* 1. *ad Renctriad.*
(b) *Matth.* 7.
(c) 1. *ad Timoth.* 3.

Digitized by Google

ex Scriptura deſumuntur, vetuſtis tantum illis temporibus mortales tenuiſſe: nunc vero mutatis hominum moribus, nova etiam vivendi praecepta adhibeantur oportere. Hi enimvero ſummi Numinis voluntatem, ſanctiſſimaeque legis vim, quemadmodum veſtitum, ſic temporis conſuetudini aptari, mutarique arbitrantur; ut aliam veterem, aliam recentiorem comminiſcantur, deſtruentes quidem, quantum in ipſis eſt, conſtantem illam divinam rationem, ortam & progenitam a ſempiterna Dei ſapientia, quae nunquam antiquatur, aut obſoleſcit, *nunquam marceſcit* (*a*); eadem enim ſemper, & conſtans ad omnem ſaeculorum aeternitatem eſt duratura; quippe *Jeſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe, & in ſecula* (*b*). Quare quum divinus Spiritus, qui Sacris illis Scriptoribus olim adſuit, idem quoque Eccleſiae nunc praeſit: idcirco quae morum praecepta olim tradidit, eadem nunc Chriſtianos obligare, ſuamque hodie habere vim & pondus neceſſe eſt; ut eadem illa divina Scriptura, quae facem quondam praetulit primorum Chriſtianorum moribus, non modo iis, qui tunc vixere, quique illos excepere: ſed & iis etiam, qui nunc ſunt, & poſteris omnibus, uſque ad Chriſti poſtremum adventum, contra omnem ſeculi pravitatem, vitiorumque contagionem, lucem praebebit clariſſimam (*c*).

Sed jam pro inſtituti noſtri ratione ſatis dixiſſe videor de Sacris Scripturis; atque uti- **XXV.** *Concluſio.*

F 2 nam

(a) *Sapient. 6.*
(b) *Hebr.*
(c) *Chryſ. homil. in illud*: Hoc ſcitote.

nam pro tantae rei dignitate; conati certe fuimus. Illud autem poſtremo loco non erit inutile monere, quamdiu, per duodecim nempe integra ſaecula, Scriptura, fuit quae regulas ad bene recteque conformandos mores ſtatuebat, una ſemper fuit regula, & norma moralis diſciplinae, una ſumma rerum agendarum ratio; de qua vel parum qui deflectebant, ſe contra legem ſanctam committere haud diffitebantur; ſuumque crimen coarguebant potius, quam excuſarent *excuſationes in peccatis* (*a*). Poſtquam vero pro ſana, ac ſimpliciſſima divinae Scripturae doctrina, leviſſimae quorumdam Philoſophorum argutiae invehi coeptae ſunt: jam plerique illi continuo, velis paſſis, fidenter pervadere quoquoverſus, ac juſti, pravique diſcrimine ſublato, proprio ingenio temere indulgere auſi ſunt. Hinc evenit, ut varii varias, pro varia, cui adhaeſerant, Philoſophiae ſecta, efferrent opiniones. Semel autem laxato ſummae illo rationis, hoc eſt, divinae Scripturae vinculo, immane quantum opinionum monſtra eruperint; mirum quam acriter quorumdam ingenia ad nova cudenda commenta & placita exarſerint. Hi enim vitiis temporum, & corruptis ſæculi moribus indulgendo, ipſamque Jeſu Chriſti ſanctiſſimam, & immutabilem diſciplinam, ipſumque Evangelium hominum ſtudiis accommodando, non ſeſe divinae legi, ſed legem potius aeternam ſibi ſubjicere, eamque ad ſuarum affectionum obſequium detorquere maluerunt. Quoque licentius ac liberius ſuorum falſorum decretorum ſemina ſparſerunt, eo gravius chriſtiana reſpu-

(a) *Pſalm.* 190.

reſpublica immane ſuſtinet pondus. Quid igitur mirum, ſi ex illa perverſe opinandi forma, tanta ad Chriſtianorum vitam redundaret labes, & corruptio, diſſolutioque diſciplinae, ut ad hanc, quam non ſine doloris ſenſu cernimus, Evangelicae legis negligentiam, vel potius contemptum perventum ſit? Jure igitur plectimur; niſi enim tamdiu multorum Chriſtiani impunitam tuliſſent temeritatem, nunquam profecto immanis illa, ac foeda exorta fuiſſet luxuriantium ingeniorum licentia; nec modus ille irrepſiſſet alienus omnino ab evangelica ſimplicitate, ut diram in ſe, meritamque Maximorum Pontificum (a), Eccleſiaeque univerſae indignationem & iram excitarent. Optandum igitur, ac votis omnibus a Summis Eccleſiae Paſtoribus expetendum, ut non reciſis tantum ramis, ſed extirpata, & funditus ſublata prava diſciplina, omnes illi, qui rationem bene pieque vivendi cum vitiorum illecebris conjungunt, juſta animadverſione compeſcantur; ut ſuo tandem Scripturae Sacrae reſtituto dignitatis & honoris gradu, potiſſima illa ſit Chriſtianorum omnium ſumma lex, ſumma ratio; unde rerum bene gerendarum, exercendaeque virtutis formam omnem ſinguli, atque univerſi repeteremus.

FINIS.

(a) *Alex. VII. in decret. diei* 24. *Febr.* 1665.

Digitized by Google

INDEX

SUMMORUM CAPITUM

AD Nicolaum Fraggiannium Praefatio. p.3.
De Definitione, ac partitione locorum moralium. I.p.*6*.
De neceſſitate Scientiae locorum moralium. II.p.7.
De humanae naturae infirmitate. III.p.8.
De multiplici Sacrae Scripturae appellatione. IV.p.10.
De Divinitate Scripturarum. V.p.12.
De immunitate Scripturarum ab omni errore & fallacia. VI.p.1*6*.
De conſonantia Scripturarum. VII.p.20.
De conſentione Scripturarum cum ratione. VIII.p.23.
De Canone Scripturarum. IX.p.27.
De Eccleſiae auctoritate in approbbandis Scripturis. X.p.31.
De variis Scripturarum interpretationibus. XI. p.34.
De Latinis Scripturarum interpretationibus. XII.p.37.
De vulgata interpretatione. XIII.p.42.
De auctoritate vulgatae editionis. XIV.p.45.
De integritate Scripturarum. XV.p.4*6*.
De laudibus Scripturarum, & earum utilitate XVI.p.50.
De neceſſitate conſulendi Scripturas. XVII.p.54.
De incommodis ex neglectu Scripturarum manantibus. XVIII.p.57.
De ratione legendi Scripturas. XIX.p.5*9*.
De cauſis obſcuritatis Scripturarum. XX.p.*63*.

De variis Scripturarum ſenſibus. XXI.p.*66.*
De ratione interpretandi Scripturas. XXII.p.71.
De Eccleſiae auctoritate in interpretandis Scripturis. XXIII.p.77.
De firmitate Scripturarum in conſtituendis certis morum regulis. XXIV.p.80.
Concluſio. XXV.p.83.

JO.

Digitized by Google

J: ANDREAS SERRAUS

JOSEPHO CANTORIO

S. P. D.

N*Eapoli diſcedens*, *meum* Locorum Moralium *primum librum*, *quem ſuperioribus diebus a me perhumaniter petiiſti*, *ad te afferri juſſi*, *etſi nondum etiam publici juris factum*. *Utinam vero tanti ille eſſet*, *qui tuae excellenti rerum maximarum ſcientiae aliqua ratione ſatisfaceret*. *Cognovi enim te cum acri*, *praeſtantique ingenio*, *ac doctrina prope ſingulari praeditum*: *tum vero Sacris iis Diſciplinis non mediocriter imbutum*, *quae in Theologia*, *ac univerſa Eccleſiae hiſtoria primum locum tenent*. *Nam quotieſcunque in noſtris familiaribus congreſſionibus ſermo his de rebus incidit*, *ſenſi profecto quantum doctrina valeas*, *quantum etiam judicio*. *Igitur* σύνταγμα *hoc accipies*, *conflatum quidem his in tot rebus adverſis*, *a quibus toto hoc tempore*, *meorum adverſariorum improbitate*, *valde me fuiſſe exercitum ſcis*. *Quod quidem quum ſeorſum ab aliis ſex libris non incommode extare poſſe viſum eſſet*,

ſive

ſivi in vulgus exire, intereadum publici judicii periculum faciens, qua alacritate reliqua volumina exequerer, intelligerem. Univerſum autem opus in VII. volumina tribui, quorum I. eſt de Sacris Sciptu-ris, II. erit de Traditione, & Conciliis, III. de Ecclesia, Romano Pontifice, ac Jure Pontificio, IV. de Sanctis Patribus, V. de Naturali Ratione, VI. de falſa Caſuiſtarum Sapientia, VII. de uſu Locorum Moralium; quibus quidquid ad id argumenti genus pertinet, complecti poſſe arbitror. Spiſſum ſane opus, & operoſum. Quod ſi ex ſententia ſucceſſerit, bene erit opera poſita; ſin minus, nunquam certe ſuſceptae hujus tractationis me poenitebit. Nam, ut cetera omnia deſint, illud quidem non parum juvabit, aſſiduo hoc, longoque labore me de praeſtantiſſimis rebus celebriorum noſtrae Religionis, fideique Antiſtitum ſententias exquiſiviſſe: atque eademopera ſanctiſſimae diſciplinae rationem ab origine ſua, atque omnium bonarum rerum fontibus percipere didiciſſe. Sed redeo ad primum librum. Hunc autem προσφωνῶ Nicolao Fraggiannio, cujus beatiſſimos manes niſi ſempiterna colam benevolentia, ingratus certe videar. Non enim ignoras, ut in filii loco is me dilexerit; cujus erga me amoris fructus, ſi non uberrimos, ſi non maximos, at certe mihi cariſſimos, & jucundiſſimos

cepiſ-

Digitized by Google

cepiſſe me ſentio. Itaque potius exiſtimationi, quam rationibus meis inſervire malui; plus enim boneſtatis apud me, quam utilitatis ratio valuit. Quid autem? Si magno Auguſtino licuit ſuos de Civitate Dei libros Marcellino Africae Tribuno dedicare: cur mibi parvum hunc libellum Viro egregio, de me, deque republica optime merito, inſcribere non liceat? Sed dum hoc factum meum judicio laudaviſſes, & confirmaſſes tuo, nibil aliorum ſermones moror. Accedit etiam, quod ejus laudis (ſic enim illam appello) ſocios babeam duo præſtantiſſima noſtrae Civitatis ingenia, Joſepbum Carullum, & Gerardum Angelium ex Minimorum Familia; quorum alter funebri illa laudatione, nullis quidem calamiſtris, nullis pigmentis, at nitore quidem multo, & elegantia, ac nativa quadam pulcritudine ejus res geſtas exornavit: alter vero orationem parat, qua (noſti bominis miram eloquentiae vim) omni ſelectiſſimorum & verborum, & ſententiarum genere Fraggiannii nomen celebrabit. Haec ad te ſcripſi liberius, quod rationes meas tibi cum primis eſſe curae ſemper oſtendiſti. Nec mibi quidquam poteſt accidere optatius, quam ſi me a te amari intelligam. Vale. Herculanio Prid. Kal. Nov. CIƆIƆCCLXIII.

JO-

Digitized by Google

JOSEPHUS CANTORIUS

J: ANDREAE SERRAO

S. P. D.

QUod *primum* Locorum Moralium *Librum*, *antequam publici juris faceres*, *exquirenti mihi tandem miſeris : id quidem a te mihi noſtra impetravit amicitia*, *& ſingularis tua erga me humanitas*, *non ulla judicii mei expectatio : quod ſane tanti non eſt*, *quanti tu facis . Utcumque ſit : gratiam habeo tibi plurimam ; Orbique Litterario valde gratulor*, *quum te*, *ceu CANUM alterum*, *meditantem intuear Opus egregium*, *pari eloquentia*, *& ſtili venuſtate exaratum . Profecto poſt diutina graviſſimorum Theologorum bella adverſus teterrima Probabiliſmi dogmata*, *fuſis jam*, *peneque deletis Caſuiſtarum copiis*, *quid reliqui erat*, *quidve Chriſtianae rei magis intererat*, *quam ut Morali Theologiae*, *quam portentoſis opinionum monſtris conſtupraverant nebulones illi*, *ſuus tandem nativus honos redderetur*, *& nitor ? ſimulque Opus cuderetur concinniter elaboratum*, *quod* Topica Moralia *complecteretur*, *obſtructoſque*

hacte-

hactenus fontes panderet , unde Moralis Theologiae Chriſtianae latifundia irrigarentur? Quod tu praeſtare quum in animum induxiſſes, comprobo conſilium tuum , & laudo ſummopere. Quam porro exhibes univerſi Operis partitionem , perpulcra ea mihi ſane videtur, & rerum tractationi aptiſſima; cui quid addi, vel detrahi poſſit, haud video . Ceterum omnium Librorum , in quos Lucubrationem tuam diſpeſcere tibi libuit , expectatiſſimus eſt mihi Quartus de Sanctis Patribus . *In eo enim ſpero, abs te prudentius, veriuſque , quam ab aliis ſit praeſtitum , Sanctorum Patrum authoritati conſultum iri, quam non ita pridem labefactare conati ſunt homines heterodoxi , Clericus, Buddeus, Heineccius, & omnium petulantiſſime Barbeyracius. Quorum ut ipſe eruditionem maxime ſuſpicio, ac per eos in iis , quae Religioni ſunt* ἔξωτικα *, non parum me profeciſſe profiteor ; ita hac ſuper quaeſtione quid ſentiam , opportune hic tibi aperiam , libereque .*

Sancti Patres, quos veneratur Eccleſia, homines quidem fuere, perinde ac ceteri. Ipſorum nullus fuit (Catholicis etiam fatentibus) qui vel a Deo inſpirata ſcripſerit, vel non humanum, ſcribendo, opinandoque, ſit infirmitatem expertus. Infinita ſuis ipſi Commentariis, quo ad dogmata Fidei, & morum, conſignarunt vere aurea, vereque cedro digna,

ut

Digitized by Google

ut nihil ſit, quod frigutiat Momus. Perpaucis contra ſententiis interdum adſtipulatos eos deprehendimus, quas minus veras eſſe, vel ipſorummet Retractationes, vel melior Philoſophia, vel Eccleſiae Decreta revincunt. Age demus modo, ceu per hypoteſim, Sanctorum Patrum nonnullos in conſequutionibus, & minimis in rebus ad Moralem, vel Politices Doctrinam ſpectantibus, humani aliquid paſſos eſſe aliquando. Quid tandem conficiet inde Barbeyracius? Anne triumphum canet, & jus faſque ipſi erit, Sanctos Eccleſiae Patres, ut ſtipites, & fungos, in Naturali Jure plane hoſpites, & ceu Moralis Diſciplinae corruptores invidioſis traducere argumentis? Eos inſuper cum Gentilium Sacerdotibus comparare, qui ſacrorum myſteriorum tantum curioſi, Moralem Doctrinam Philoſophis tradendam relinquebant? declamare denique, morum Scientiam a Religionis Miniſtris male habitam, & ex Orbe pene pulſam, ad Laicos, & profanos eruditos homines confugiſſe, a quibus comiter magis, & benignius fuit excepta? Sed haec ſunt, quae furenti Barbeyracio conſectaria negamus, ut nimis invidioſe deducta.

Principio nullum Juris Naturalis Syſtema Sanctos Patres condidiſſe fatemur. Sed nec ullius condendi ulla eos urgebat libido, quum conditi Juris optimi eſſent Interpretes, & Se-

cta-

ctatores. Revelationem nimirum, & verbum Dei ſcriptum ſectabantur: quo Divino Jure ni perpoliatur, illuſtretur, perficiaturque hominum ratio; nec vera Juris Naturalis, Moraliſque Diſciplinae principia unquam adtinget; neque infanda devitabit deliria, quibus, magno rationalis naturae probro, ſuas opplevere chartas Ethnici Philoſophi, propriae rationi relicti. Huic, inquam, Revelato Juri Sancti Patres inhaerebant tenaciſſime. Huic firmiſſimo innitebantur ſanctiori Syſtemati, quod non modo Jus ipſum Naturale eminentiori modo complectitur; ſed & quod Naturali Juri deeſt, ſupplet abunde. Ad quod a Deo Jus revelatum, & Summi Numinis beneficium (ita enim appello) ni quadrent quotquot alia Philoſophorum circumferuntur de Jure Naturali Syſtemata, abſurda plane omnia eſſe, atque obſtipa neceſſe eſt. Utrumne vero in morum Philoſophia hoſpites, vel de ea optime meriti Sancti Patres fuerint; id non niſi ex ipſiſſimis eorum elucubrationibus erit dijudicandum, unde, ut ſatyram ſcriberet, ſuas dépromſit ſagittas Barbeyracius. Ad eas igitur provoco; ut oculis legens, ſed minus liventibus, ea ipſe inde uſurpet, quae ad ſui refellendas irati animi criminationes ſunt ibi ſapientiſſime diſputata.

Pudere ceteroqui Barbeyracium pro ſua eruditione debuiſſet, Sanctos Eccleſiae Patres cum Gentilium Sacerdotibus conferre. Nam

ut

ut non rationi , & ſapientiae, ſed brutae Gentium ſuperſtitioni, ſupinaeque ignorantiae tota innitebatur idololatria; ita idolorum Sacrificulos viros fuiſſe eruditos, & ſapientes, ut non credam, facile adducor. Impoſtores immo, & ſycophantas ad ignaro popello os ſubliniendum vaferrimos eos duxerim. Quod ſi ſapientes quis illos fuiſſe contendat; id certum, de Dei Natura, & Providentia, de rerum origine, & creatione, de humanae naturae corruptione, de animorum immortalitate, deque futurae vitae ſtatu (quae ſane principia ſunt, & fundamenta, quibus omnis ſuperexſtrui debet Morum Diſciplina) eos vel nullas, vel plane abſonas foviſſe ſententias. Quapropter ſi omnem tradendae Moralis Scientiae curam abjecerint ipſi, prorſuſque ſiluerint; in hoc minus ceteris erraſſe mihi videntur: idque eorum ſive ex deſidia, ſive ex imperitia profectum ſilentium, laudi ipſis potius, quam crimini verterim: ita namque ſum a natura comparatus, ut garrulam inſipientiam ſilenti poſthabeam ignorantiae. Neque enim, ſi Moralia tradere ſuſcepiſſent, meliora ab ipſis haberemus, quam quae gravi ſupercilio, barbaque promiſſa nobis ceteri obtruſere Philoſophi; qui eorumdem principiorum quum fuerint juxta inſcientiſſimi, immane quantum ſinuoſis ſuis in diſquiſitionibus deſipuerint miſere; quotque errorum plauſtra in

G Mora-

Moralem Scientiam invexerint. An igitur quae de Gentilium Sacerdotibus dicuntur, poſſint & Sanctis Eccleſiae Patribus aptari? Qui non utique ex hominum cerebro natam, ſed revelatam a Deo rerum credendarum, agendarumque Philoſophiam, Chriſtianam nempe Religionem, profitebantur. Qui veriſſimi proin erant Philoſophi non modo, ſed σοφοὶ ſimul, & Dei Sacerdotes ſanctiſſimi. Qui concreditos ſibi quiſque greges, tum ſermonibus, tum redolentibus ubique ſapientiam, ac pietatem ſcriptis, in fidei, morumque dogmatis erudiebant ſedulo. Qui demum ſuarum tantum partium id docendi munus eſſe arbitrabantur, non ſaeculi Philoſophorum, quorum ſapientiam jam dudum ſtultitiam eſſe didicerant. An, inquam, quae de Gentilium Sacerdotibus dicuntur, poſſint & Sanctis Patribus accomodari, ad ipſum, cui pudendum hoc excidit paradoxum, Barbeyracium appellaverim.

Sed nec minus inſolens calumnia eſt altera, Moralem nempe Doctrinam a publicis Religionis Miniſtris neglectam, & ex Orbe pene pulſam, ad Laicos ſe recepiſſe, & Eruditos profanos homines, qui eam benignius exceperunt. Enimvero impudentiae omnes laxaſſe habenas Barbeyracium oportuit, ut commentum hoc alterum adſtrueret, a nemine, quod ſciam, antea effutitum. Sed qui quaeſo ſunt Eruditi iſti profani homines,

nes, benevolique receptores? Num Spinoza? num Hobbeſius? num Baelius, ceterique hujus furfuris vel Athei, vel Deiſtae, vel Sceptici, qui ſumma, & praecipua cum Religionis, tum morum philoſophiae capita, & fundamenta disjecere? Quod ſi Grotium, & Puſendorffium, vel Cumberlandium innuat Barbeyracius; ii ſane a Religionis Chriſtianae Miniſtris profugam morum Scientiam apud ſe recepiſſe adſerere auſi ſunt nunquam, nec poterant. Grotius cum primis ſinceri Vir pectoris, & rerum harum Judex, ſi quis alius, peritiſſimus, tantum abeſt, ut Sanctos Patres abactae Moralis Diſciplinae inſimulet; ut potius praeclaro de Jure Belli, & Pacis *Opere eos laudet cummaxime, atque in Prologomenis luculentiſſimum de eorum auctoritate protulerit judicium. Dicendum quod res eſt. Excolucre quidem recentiores Philoſophi Juris Naturalis Doctrinam ingenioſiſſime, ac ejus principia & fontes, legeſque rimari adniſi ſunt. At nil magni, nil egregii enixuros unquam eos fuiſse conſtat, ſi ſuae rationi fidentes de ſuo tantum jecinore ſapere voluiſsent; & niſi ad revelati Juris normas (quod unum Sanctorum Patrum Syſtema fuit) artificio licet diverſo, & ingenioſo, ſua conformaſsent Syſtemata.*

Sed ſunt (inquit Barbeyracius) in Sanctorum Patrum ſcriptis hallucinatio-

 nes

nes, ſunt in Re Morali lapſus quamplurimi, indice ſat longo deſcripti. Sint. Aſt mirum, in corradendis ex Sanctorum Patrum auro excrementis, tam operoſe ipſum deſudaſse. Potuiſset ſane faciliori negocio infinita aurea, egregia, & quantivis praetii excerpere, ut panegyricum contexeret. At haec tranſilit omnia, praetergreditur, diſſimulat. Sordes tantum, veluti ſcarabeus, conſectatur, ut arrodat. Ecquid vero rei eſt iſtuc, niſi humanae imbecillitatis eſse oblitum? Nulla quippe, vel praeclariſſimorum hominum, opera Sol hactenus vidit, ne ad Matheſin quidem pertinentia, quae, ſi curioſe exquiras, ſuis non ſcateant naevis. Atqui naevi iſti (modo ſumma ſtent capita, & principia non convellantur) Auctorum exiſtimationem non ſubruunt, neque pondus unquam imminuunt. Sic Grotii, ſic Pufendorffii perſtat authoritas: quos ceu Juris Naturalis, Moraliſque Diſciplinae inſtauratores Barbeyracius depraedicat. At quotuſquiſque eſt, qui ignoret, quam multa ſint, quae in illis modo vellicet, modo perſtringat ipſe, modo ut falſa exſibilet, rejiciatque? Vel igitur, perinde ac ceteris Sæculi Scriptoribus, conſtabit & Sanctis Patribus ſuus honos, & authoritas, iis abjectis, in quibus ut homines dormitaſse videntur; vel actum jam eſse de omni humana Sapientia, doctiſque Viris, erit aequa lance pro-

pronunciandum : quod ultimum an velit Barbeyracius, neſcio. Quae quum ita ſint, iraſcor Clariſſimo Viro, quod quum ceteris pepercerit, Sectae ſuae ſtudio transvorſum actus in ſolos Catholicae Eccleſiae Patres tam impotenter ſit debacchatus, ut uno ictu & eorum auctoritatem elevaret, & e Catholicorum manibus opera excuteret. Auget vero iras doctiſſimus Ceillierius, quod ad ſingulas quaſque Sanctorum Patrum tuendas ſententias (quas neque ipſi, ſi reviviſcerent, tuerentur fortaſſis) in arenam cum Barbeyracio deſcendere ſibi praeſtituerit, neceſſitate plane nulla, exitu vero adeo parum felici, ut irritatis crabronibus, acrius bellum recruduerit. Sed quo abripior? Jam video epiſtolam in diſputationem evaſiſſe. Haec tamen non ideo ſcripſiſſe me, velim, ſcias, quaſi tuas conſtituerim Sanctorum Patrum Vindicias praeoccupare: ſcio namque praeſtantiſſimo ingenio tuo nec uberiora, nec ſolidiora unquam eſſe defutura, ut rem acutius, doctiuſque conficias. Sed eo impetu feci, ut teſtatum tibi facerem conceptum jam pridem animi mei amarorem ex immani Sanctorum Patrum laniena, quam exercuit immitiſſime Barbeyracius, Vir quidem doctiſſimus, ſed ſummè petulans. Pergam igitur ad alia.

Primum vero temperare mihi nequeo, quin te aliquid rogem, quod Librum V. reſpicit, in quo

de Humana Ratione *te ſpondes diſputaturum. Pertractavit egregie quidem* Locum *hunc pro ſui temporis ratione diſertiſſimus Melchior Canus. At ſcis, quam valde lubricus hic* Locus *noſtro hoc aevo evaſerit, ubi ſua exſeruere capitula perditiſſimi quidam, quos* Eſprits forts *Galli appellitant. Hi, ut omnem peſſundarent, atque ad fabulas reiicerent revelatam a Deo Religionem, nullum non moverunt lapidem, nullo pepercere labori. Eo praeſertim omnes intendère nervos, ut humanam rationem plus aequo extollerent; ejus pomoeria nimium proferrent; atque ipſam unam credendi, agendique facerent normam. Qua data porta, quanti ruant inde, terramque perflent horriſoni foedarum opinionum turbines, tute vides. Huc Collini, Blountii, Tindallii, huc denique ceterorum id genus Libertinorum foetus ſpectant monſtruoſiſſimi; de quibus identidem familiaribus in congreſſionibus nos loquutos memini. Quapropter hoc Libro coercitam optime, atque acri eloquentiae tuae aceto perfuſam optarem hujuſcemodi laſcivientium ingeniorum ſuperbiam. Id quod, pro ea, qua es, Metaphyſices, intellectuſque humani ἰλιάδος eruditione, tibi erit admodum facile, mihi vero jucundiſſimum: ut audaciſſimi hi, qui rationis finium regundorum leges perrupère, animadvertant, ſe nunquam magis cum ratione inſanire,*

quam

quam dum aequo nimius pro ratione pugnant. Ut & ſi qui ſint etiam (utinam vero non eſſent) eorum clancularii admiratores ineptiſſimi, admirari deſinant ; illudque perdiſcant eſſe veriſſimum:

Eſt modus in rebus , ſunt certi denique fines,
Quos ultra , citraque nequit conſiſtere rectum.

Salivam quoque mihi movet cummaxime Liber VI. quem de falſa Caſuiſtarum ſapientia *aptiſſime inſcribis. Et magna quidem hoc loci a te me auditurum confido. Qui enim Sapientes unquam audient , qui perpetuas rationis , ſapientiaeque leges perfregere ? qui aeterna Divini , Naturaliſque Juris principia perturbarunt ? qui Hominum , Civiumque officia interverterunt ? qui denique eo audaciae progreſſi ſunt, ut CHRISTI Evangelium , qui vera* Sapientia *eſt , & hominum* lux , *exquiſitis commentis, figmentiſque obnubilarent : flagitia , & peccata vel excuſantes , vel ſuo confirmantes calculo? Acui idcirco oportebit ſummopere zelum eruditum , & facundiam tuam , genus ut hoc hominum conteratur potentibus infidum, peccantibus fallax. Quod vel ideo magis neceſſum putaverim , quod quamquam ſuperiori clade adeo afflictatae , acciſaeque ſint Caſuiſtarum fortunae , ut ſint ipſi ad incitas adducti ; ſupereſſe tamen*

men hodiedum mihi videntur ipſis prognati nequiores pluſculi; qui, tanquam confecti belli infelices reliquiae, certamen denuo inſtaurare geſtiant, parentum exitium, & vulnera ulturi, ne ipſis, ut indignis, eorum auferatur haereditas. Sed bene habet, quod ita ſubleſtis decertent ſcriptiunculis, ut muſcis jam prope emorituris poſſint contendi.

At redeo ad primum, quem perhumaniter miſiſti, Locorum Moralium *Librum* de Sacris Scripturis. *Fluens in eo tua legentem me abripit oratio. Certat cum perſpicuitate brevitas. Cum utraque vero rerum e fontibus hauſtarum delectus, gravi digeſtus judicio. Utinam preſſo ſcribendi hoc genere uterentur moleſtiſſimi illi, qui tunc magnum ſe nomen adeptos putant, quum magnorum voluminum, quibus nos obtundant, ſe glorientur auctores. Ceterum Librum hunc ſi tu veluti emiſſarium, & publici judicii exploratorem, typis evulgandum ſiveris (ut autem ſinas, oro) nullus dubito, quin eodem illum plauſu excepturi ſint Eruditi Sapientes, quo olim Commentarium illud tuum amplexati ſunt, de Jani Vincentii Gravinae Vita: perbreve quidem opus, at ſumme elegans; non amore, non odio, non adſentatione ulla, ſed fide, ſubacto judicio, & miro latini ſermonis nitore conſcriptum.*

Haec

XVII.

Haec habui, quae de tuo Opere, quod meditaris, tibi reſcriberem. Quod ſi paulo prolixior, quam par ſit, haec tibi mea videbitur epiſtola: indulgendum id mibi eſt, quem tibi reſcribentem eadem illexit animi voluptas, quam, dum te alloquor praeſentem, experior. Scis enim, quantum capiam oblectationis ex familiaribus noſtris colloquiis, a quibus divelli nunquam vellem, ni me aliorſum avocaret muneris mei ratio, & improba illa, qua pene enecor, civilium negociorum ſtrues. Exorandus modo mibi eſt D. O. M., ut conticeſcentibus jam, redactiſque in ordinem adverſariis tuis, partam animi tranquillitatem, corporiſque vires tibi ſervet integras, adaugeat: quo bene coeptum Opus, & Viri inclyti, quem mortuum conlacrymamur, Manibus *jure dicatum, valeas urgere, & ad uſque umbilicum perducere. Vale: & te a me amari ſummopere, & eruditionem tuam, & animi modeſtiam valde coli, ſcito. Neapoli Idibus Decembribus* CIↃIↃCCLXIII.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

PAolo e Niccola di Simone pubblici Stampatori ſupplicando eſpongono all'E.V. qualmente deſiderano ſtampare un operetta intitolata: *J: Andreæ Serrai de Sacris Scripturis liber, qui eſt Locorum Moralium primus*. Supplicano l'E.V. di commetterne la reviſione a chi meglio le parerà. E l'avranno a grazia ut Deus.

Admodum Rev. Dominus D. Franciſcus Simeone Sacrae Theologiae Profeſſor, & Sacrae Academiae Archiepiſcopalis Socius revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 9. Aprilis 1763.

I. EPISC. ALLIFANUS VIC.GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

J: *Andreae Serrai de Sacris Scripturis* librum, *qui eſt Locorum Moralium primus*, juſſu Eminentiae tuae, ea, qua par erat diligentia evolvi; nec quidquam in eo mihi occurrit, quod aut Chriſtianae Religionis decretis, aut morum diſciplinae eſſet abſonum; ſed potius elegantem, ac perpetuam orationem a Cl. Auctore, in re inter Chriſtianos maxima, egregie uſurpatam ſum demiratus; ac proinde primo quoque tempore publico bono in vulgus emitti poſſe arbitror. Neapoli XV. Kal. Jannar. MDCCLXIII.

E. T.

Humilliſſimus obſequentiſſimus
Franciſcus Simeone.

Atten-

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum die 15. *Jan.* 1764.

I. EPISC. ALLIFANUS VIC.GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

S. R. M.

PAolo e Niccola di Simone pubblici Stampatori, ſupplicando eſpongono alla M. V. qualmente deſiderano ſtampare un operetta intitolata: *J: Andreae Serrai de Sacris Scripturis liber, qui eſt Locorum Moralium primus*. Pertanto ſupplicano la M. V. di commetterne la reviſione a chi meglio le parerà; e l'averanno a grazia ut Deus.

Admodum Rev. U. J. D. D. Thomas Taglialatela in hac Studiorum Univerſitate Profeſſor Primarius, revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 13. *Maji* 1763.

NICOLAUS DE ROSA EP.PUT.C.M.

S.R.M.

S. R. M.

MAndato Tuo volumen perlegi, cui titulus: *J. Andreae Serrai de Sacris Scripturis liber, qui eſt Locorum Moralium primus*; mole quidem perexiguum, ſed rerum gravitate ſatis magnum. Continet enim accuratam Sacrorum Librorum deſcriptionem, qua univerſae inter Chriſtianos Moralis Diſciplinae ratio recte conformari poſſit. Quare quum nihil in eo ſit, quod Tuae Regiae auctoritati adverſetur, rite in vulgus emitti poſſe cenſeo. Neapoli IV. Id. Nov. MDCCLXIII.

Devotiſs. Numini Majeſtatique Tuae
Thomas Taglialatela.
Reg. Sac. Theol. P. Profeſſor.

Die 18. menſis Januarii 1764. Neapoli.

Viſo reſcripto Suae Regalis Majeſtatis ſub die 13. currentis menſis & anni, ac relatione Reverendi U.J.D.D. Thomae Tagliatela, de commiſſione Rev. Cappellani Majoris, ordine praefatae Reali jeſtatis.

Regalis Camerae Sanctae Clarae, providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reverendi Reviſoris; verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica hoc ſuum.

GAETA. FIORI. PERRELLI.

Reg. fol. 112.
Carulli.

Athanaſius.

523816

Digitized by Google

Z. 3896

Digitized by Google

Vit
V
7